COMMENTARIVS DE INTERREGNIS IN REGNO POLONIAE

A

M. MARTINO BOEHMIO,
PROFESSORE GYMNASII
THORVNENSIS,
CONCINNATVS,

NVNC

E MSto EDITVS,

AC

QVIBVSDAM ADDITAMENTIS

AVCTVS.

THORVNII

Impressit Io. Nicolai NOBIL. SENAT.
& GYMN. Typographus.

LECTORI S.

QVem foetum ipse B. Auctor ante aliqvot annos evulgare destinaverat (vid. Bücher-Saal Tom. I. p. 726.) iam Tuo commodo amplius noluimus invidere. Succincta in eo invenitur enarratio modi, quo Reges eligi & coronari in Regno Poloniae solent, neq; minus series rerum eo tempore gestarum, quo Reges mortui & vacuefacto solio, de novo eligendo a Proceribus deliberationes sunt institutae. Non iniucunda lectu sunt, quae ex variis scriptoribus decerpta, &

Pol. 8. II. 38

ad

ad illustrandam Poloniae historiam congesta in unum corpus reperiuntur. Haud enim aliud notabilius solet esse in Polonia tempus, quam ubi capite suo caret. Facile multorum tunc in se convertit oculos, allicitq; aliorum etiam, qui extra Poloniam sunt. Aliorum accenduntur aemulantium inter sese animi, qui procorum instar, regni capessendi cupiditate ducti, sponsam deperierunt: aliorum, anxia expectatione advertentium, cui demum post multas concertationes regnandi felicitas obtingat. Putares, tum plane sine Lege vivere Polonos, cum sine Rege sint, sed alia prorsus apparent, cum scriptores consulimus, ac consuetudines per bonas leges introductae accuratius observantur. De his, quae compilata in hoc tractatu inveniuntur, multa possunt esse documento, depingentia nationis ingenium, animum, mores, tum & errores ac naevos, il-

lo praesertim tempore solitos & frequentes. Vt plurimum enim, uti relatum legimus, sub id tempus omnia inquieta, miles spe veniae, aut criminis non puniendi licentiosius se gerere solitus, sibi licere omnia temere ratus, suo arbitratu & sponte militiam ingressus. Cum sine maleficio & scelere oppida & villas praeterut non eius bonitati & ingenio tribuendum, sed aut Ducis industriae & integritati, aut sigillatim indulgentissimi Dei tutelae. Ambitioni, avaritiae, libidini & licentiae nulla non patebant, cum omnes legibus vivere debuerunt, pauci volunt, paucissimi possunt. Omnia se rectius haberent, si maiorum clarissimae gentis institutis, saluberrimarum legum auctoritate & iustitiae regulis accurate omnes niterentur. Conquesti de his olim ipsi Proceres regni & medelam inter inanes conatus optarunt. Neq; mores hi fuerunt

eorum

eorum, qui antiquitus asperrimis illis temporibus vixerunt, & paullo remotiores a cultu & humanitate fuerunt, sed & recentissima aetate non mitiori ingenio in patriam fuisse ex Epistolis ZALVSKIANIS ac speciatim XXXVII. liquet. Vlcus hoc est, quod tangimus, dum tristi memoria repetimus ea, quae reminiscendo multis dolorem augere possint. Sed corrigendis illis malis compescendisq; quomodo suam invigilare solent curam Proceres, ex hoc libello aliquantum videre potes, neq; minus industriam in tutandis iuribus conservandisq;. His ipsis speciatim cavent per pacta conventa, quibus voluntatem neo-electorum circumscribunt, ac, praestito super illa iureiurando, suae prospiciunt libertati. Quam facile enim per maiestatis & fortunae licentiam ea convelli solet, discere ex aliorum possunt exemplis. De his frequens &

fere quotidianus in Polonia sermo, nec ullum de cura illa, qua agitantur, dubium. Ceterum hoc interregni tempore, in quo vivimus, Dei gratia satis adhucdum omnia sunt tranqvilla. Neq; iam, uti olim militi vago, sub praetextu exigendi incerti stipendii omnia licent, sed constituto solutoq; stipendio intra ordinem de industria lectus miles continere se debet. Praeterea cordi id sibi esse quam maxime vult Celsissimus Primas, ad quem illa curarum moles devoluta, ut, salvo cuiusq; iure & quiete, Reipublicae salus conservetur. Optamus iam, ut Princeps consilio & gravitate plenus aequabili fortuna & integra valetudine grave negotium feliciter & ex commodo patriae perficiat, id quod ingentis prudentiae documento ipsum posteritati admirabilem reddet. Sed redeo iam ad libellnm. Multum quidem non raro pretii decedere

dere ſolet operi poſthumo, quando ultimam manum non valuerit adhibere auctor, aut gratia caret quadam foetus, quem lambendo quaſi non cultiorem reddidit, tamen de hoc confirmare audeo, nec demere auctorem, nec addere, nec mutare quicquam, quoad eſſet in vivis, voluiſſe. Vnde prorſus totum eundemq; habes, Lector Benevole, his argumentis, quibus prodire eum deſtinaverat Collega noſter pie defunctus. Tantum diſtinximus ea in paragraphos, quae Auctor quaeſtionibus incluſerat. Proinde nihil mihi arrogo inſolenter, niſi qvod curarim, ne plane ad neglectas condemnaretur ſchedas. Neq; hoc adeo negotii prorſus mihi tribuo, ſed participem huius curae vel honoris cauſa etiam nominare debeo Beati olim BOEHMII auditorem diligentiſſimum, Iſaacum Godofredum Goedtkium, Conicenſem, virum non modo patriae interioribus commentariis fideliter intentum, ſed

& rebus ſcrutandis in Polonia & Pruſſia olim geſtis. Cuius beneficio factum, ut in plura exempla typis & hic commentarius exſcriberetur. Neque hic reticere debeo operam eruditi viri, Ioannis Dan. Hoffmanni Gymnaſii Collegae, quam in corrigendis praeli vitiis, tum & aliis in latinum ex polonico reddendis voluit adhibere. Breves inter legendum & meditandum ſubortas annotatiunculas boni conſule, longiores ex ſcriptoribus addere noluimus, ne in nimium excreſceret labor, qui brevis & ſuccinctus debebat eſſe. Quin imo iuxta illud Martialis, minime decebat ingenioſum eſſe in alieno libro!

Faxit interim Deus, ut felici conſiliorum eventu conſtet praeſens electio, quo pacto malorum ſuperiorum poteri-mus obliviſci ac nova rerum felicitate quodammodo laetari. Thorunii, d. 9. Aug. A. clɔ lɔ CC XXXIII.

P. Iánich. A.

M. MARTINI

M. MARTINI BOEHMII

DISSERTATIO HISTORICA DE INTERREGNO REGNI POLONIAE ET IIS QVAE HVC FACERE VIDENTVR.

CAP. I.

de Interregnis in genere

§ 1. *Interregna qvid sint?*

§ 2. *An detur extra Regnum Polon. Interregnum?*

§. 3. *Annon conducibilius regnum successivum, qvam in electitio Interregnum pati?*

§. 4. *Cur Poloni electionem successioni praeferant?*

§. 5. *Qvare Piastus regno excludatur?*

§. 6. *Rationes pro Piasto, cur sit eligendus?*

§ 7. *Qvod Regia proles nunqvam excludatur a fascibus regni.*

§. 8. *Vivente Rege novus Rex & successor an denominari queat?*
§. 9. *Causae Interregnorum tres in Polonia.*
§. 10. *Rex defunctus demum funebri pompa effertur, cum novus adest.*
§. 11. *Quod non eo loco sint Reges multi mortui, ubi sunt electi.*
§. 12. *An Rex deponi & exauctorari possit?*
§. 13. *De spontanea abdicatione regni.*
§. 14. *Exemplum Io. Casimiri sponte se abdicantis.*
§. 15. *Qui statum interregni moderentur?*
§. 16. *Munia & officia interregis quaenam?*
§. 17. *Capturale iudicium quid?*
§. 18. *De cessantibus iudiciis tempore interregni.*
§. 19. *De convocatione generali.*

§. 20.

§. 20. De loco electionis, & quae ante electionem peragi solent.
§. 21. Electio quomodo peragitur?
§. 22. Quorum potestas est eligendi Regem?
§. 23. De Candidatis Regni Poloniae quinam esse possunt?
§. 24. Quae post electionem fieri solent?
§. 25. De formula iuramenti a recens electo praestandi.
§. 26. Quae vulgo ante coronationem fiunt?
§. 27. Descriptio actus coronationis.
§. 28. Preces Archi-Episcopi Coronatoris.
§. 29. De iuramento a Mareschalco equestris ordinis praescripto & a Rege praestando.
§. 30. Quid post coronationem fieri soleat?

§. I.

INterregnum est tempus, quo Regnum Rege suo caret, sive ille mortuus fuerit, sive exauctoratus, sive se ipsum Regno abdicaverit.

§. II. Dantur etiam extra Regnum Poloniae Interregna tam in Successivis qvam in Electitiis Regnis & Principatibus, in iis tamen minor tumultus oritur, qvam in his. Mortuo Imperatore in Imperio Romano-Germanico Interregnum, sive Vacantia, ut in *Aurea Bulla Caroli IV.* vocatur, per Archiepiscopum Moguntinum Statibus Imperii denuntiatur. Tale Interregnum olim Seculo XIII. fuit, & magnum dicitur, quia XIIX. secundum alios XXIII. annos duravit. Vicariatum illo tempore Dux Saxoniae & Palatinus Rheni administrare solent, vel etiam Rex Romanorum, qui hodie est Iosephus Iacobus Ignatius Ioannes Antonius Eustachius, Leopoldi Caesaris filius, An. 16-8. d. 26. Iulii natus, An. 1687. Poloniae Rex Hungariae coronatus, & Augustae Vindelicorum An. 1690. d. 26. Ianuarii Rex Romanorum creatus. * Olim Vicarii Regum Romanorum dicebantur Praefecti Urbi, antiqvorum Imperatorum vero Praefecti Praetorio: hodie dicuntur Procuratores & Mandatarii, sicut apud Francos, Maiores Domus & Comites Palatini. Vid. CHRISTOPH. LEHMANNVS in

Chron.

Chron. Spiren. lib. 3. cap. 17. 19. MARQVARD. FREHERVS ad *Petri de Angelo lib. 2. cap.* 10. Sic mortuo Pontifice Romano, defuncto Duce Veneto, Interregnum qvoddam promulgatur.

§. III. Primis quidem Reipubl Polonae temporibus Regnum Succeſſivum in Polonia obtinuit, nec unquam Electio valuit, niſi Ducalis & Regalis ſangvis plane extinctus eſſet; hinc partim in prima, partim in ſecunda & tertia periodo, in primis vero in Piaſtea & Iagellonica ſtirpe ſucceſſivo ordine diu praefuerunt ſummae rerum Polonicarum maſculi, quin & ad foeminеum ſexum Regnum fuiſſe devolutum ex Hiſtoria Polona manifeſtum eſt. Imo & Regiae prolis in ordine ſucceſſionis habebatur ratio. Cum Caſimirus I. Mieceslai II. filius ſeculo XI. a Polonis cum Rixa matre, impotenti reginis foemina, e Polonia pulſus, & in Gallia Monaſterium Cluniacenſe ingreſſus jamque Diaconus factus eſſet, miſerunt Sarmatae, Oratores ſuos ad Abbatem hujus Monaſterii, humillime precantes, ut Caſimirus clauſtris emiſſus, Regnum Polonicum adiret; cum vero is ipſorum petitis aſſurgere ſe non poſſe diceret, recta Romã contenderunt, et a Benedicto IX. P. R. ſub his conditionibus Caſimirum e Monaſterio liberarunt, Regioque throno admoverunt, [1] ut cenſum Pontifici Romano ſolverent, ex qvo In-

cerna D Petro Romae arderet (2) ut morem prolixos capillos gerendi, tanquam gentilem, abjicerent, illosqve more Monachorum tonderent [3] ut festis solemnibus candidam stolam e collo suspensam singuli Equites gestarent Etiam hoc seculo Ioannes Casimirus, Sigismundi III ex altera Caroli Ducis Austriae Anna Constantia filius ordinem Iesuiticum professus, et ab Innocentio X P. R. in numerum Cardinalium cooptatus, Rex electus, & Vladislao IV suffectus est Praeterea divisio Regni inter filios in Regnis Electitiis locum non habet: jam vero seculo XII. Boleslaus III sive Krivoustus inter filios suos moriturus Regnum Poloniae diviserat, ita ut Vladislao II. sive Sputatori, ut Reg., tractus Cracovienſis, Siradienſis, Lancicienſis et Silesia; Boleslao IV. sive Crispo, Cujavia Masovia, Culmenſis et Dobrinenſis provinciae; Mieceslao tert, Gnesnenſis, Posnanienſis, Calisienſis tractus cum Pomerania orientali; Henrico, Sendomirienſis & Lublinenſis; Casimiro II denique terrae inter qvatuor horum filiorum partes jacentes attributae sunt, ut non modo IOANNES DLUGOSSUS TOM. I. *Hist. Polon. ad An.* 1139 sed & *Martinus Cromerus lib. 7. de ortu & rebus gestis Polonorum* tradit. ut silegm testimonia a scriptoribus Polonicis passim has de re sparsa, quae videri possunt apud

VIN-

VINCENTIUM KADLUBKONEM lib. I. *Chron. Polon. epist.* 1 *lib.* 3 *epist.* 27. *& lib.* 4. *epist* 21. 26. *apud citatum* DLUGOSSUM ad *A.* 1173. 1200. 1201. CROMERUM *lib* 2 §. 10. 11. *de* O. *& R. G. P.* IOANNEM IANUSZOVIUM lib 3. *Constit. Regn. Polon. part.* 1. *tit.* §. SALOMONEM NEUGEBAUERUM lib. 2. *Hist. Polon p.* 46. Utut vero Regnum Poloniæ antiqvis temporibus haereditarium fuerit, ut hactenus probatum est a nobis, malunt tamen Poloni in Regno Electitio vivere, existimantes qvod libertates & Privilegia sua in eo tutius defendere possint qvam in Regno successivo, id qvod ex seqventibus pluribus patebit.

§. IV. Poloni Electionem Successioni ideo praeferunt, qvia electio libertati Polonicae magis convenit qvam successio, ideo post excessum Henrici I. lex plurimorum Regum Capitulationibus, utpote Stephani Bathori Sigismundi III. Vladislai IV. Ioannis Casimiri, Michaelis Koributi, & Ioannis III. inserta est, ne Rex vivus ullo modo successorem denominaret, neqve in posterum titulo Haeredis uteretur, cum uterq; hic modus liberae electioni multum derogaret * Atq; ex Capitulationibus illam tempore Io. Casimiri A. 1562. in Comitiis Varsavienſibus promulgatã ſuppeditabo, quae est hujꝰ

enoris "Iura omnia & constitutiones pro libera-
"electione conservanda, a Sereniſſimis Regibus
"Anteceſſoribus noſtris Republica, et nobismet
"ipſis conſtitutas & pactis conventis confirmatas
"in omnibus punctis ex paterno erga Rempubli-
"cam amore reaſſumimus" Et cum in Comi-
ciis Thorunenſibus A. 1666 unus e Senatori-
bus injeciſſet mentionem, ut Respublica in ſta-
tu ſuo periculoſo Regni ſucceſſorem deſignaret,
exhorruerunt omnes, & fremitu concitato, ad
poenas legum depoſcere auctorem vo-
lebant niſi difficilioris temporis rationes ſilen-
cio potius tunc illam premere coegiſſent,
ut refert PAULUS PIASECIUS *in Chron. ad Annum praedictum*. Inſuper putant Poloni, "ad
"ſecuritatem imperantium & obtemperantium
"conſtantiam conferre, Regem per omnes eligi,
"bonos nanqve malosve elegerint, non aliis ſed
"ſibi imputaturi et ſine murmure laturi, ut ſcri-
"bit ANDREAS MAXIMILIANUS FREDRO
"*in Hiſtoria Henrici Valeſii*. Hinc uſu venit, ut
"tempore Interregni nullus certus electionis mo-
"dus definiatur Forma, ſcribit IACOBUS PRI-
"LUSIUS *lib. I. Conſtit. Regn. Polon. cap* 30. *art.*
"3. eligendi Regis a majoribus noſtris praeter-
"miſſa eſt, modo ut ſit Nobilitati aeqve ac Pro-
"ceribus libera, cautum eſt." Haec ille.

§. V.

§. V. Non tam lege publica qvam consvetudine observatum est, Piastum, hoc est, indigenam et nativum in Regem Poloniae non eligi ob nullas alias causas, qvam ut (1) factiones cohiberentur: acerbum qvippe est, sibi aeqvalem, subito ad fastigium Regium evectum, dominum suum appellare, ex qvo bella intestina non raro oriri solent. (2) ut optimo daretur diadema regium. (3) ut voces eligentium liberae non manciparentur. Ideo cum post mortem Sigismundi Augusti de Rege indigena in Interregno injecta fuisset mentio, Ioannes Zamoscius Magnus Regni Cancellarius consilia multorum subtili ratione elusit, his fere verbis perorans: cum ceterorum Principum Oratoribus absentibus ad dicendas de Rege sententias nullus daretur locus, aeqvum esse censebat, ut abessent qvoqve Cives qvi Regnum peterent. ita cum nemo petitorem Regni, addit ANDREAS MAXIMILIANUS FREDRO in *Historia Henrici*, se palam fateri, ob verecundiam & invidiae metum auderet, omnis de indigena Rege eligendo deliberatio sponte sua concidit. Quin cum tempore Sigismundi III. qvaestio ista moveretur, an Piastus eligendus esset Rex? Stanislaus qvidam Stadnicki apud PAULUM PIASECIUM *ad An.* 1589. respondisse legitur, se vereri, ne via tali ad dignitatem

„Regiam patefacta, auriga qvcqve ſuus ageret „Piaſtum, & Regnum affectaret.“

§. VI. Sunt autem plurimae cauſae & rationes, quae pro Piaſto in Regium Regni Poloniae thronum evehendo militant. In Interregno poſt Ioannis Caſimiri abdicationem hae ſunt prolatae rationes. [1] DEus ipſe mandavit Iudaeis Deut. XVII. 15. non poteris alterius gentis homines facere Regem, qvi non ſit frater tuus. (2) Bruta a diſſimili non reguntur, ſed a ſimili ſui ſexus. [3] Indicium eſt nimis ſervilium ingeniorum non admittere e gente ſua, qvi regere poſſit. (4) In Germania Germanus eligitur Caeſar; Romae Pontifex ex Italia, in Hiſpania Hiſpanus Rex, neq; in aliis Regnis alius mos. [5] Piaſtus morum Polonicorum maxime gnarus, ejusdemqve certior fides eſt, qvam alienigenae. [6] Peregrini a magiſtratibus & dignitatibus in Polonia excluduntur, cur etiam non a Regno? Poſt obitum Michaelis Koributi haec inter alia pro Piaſto eligendo proponebantur argumenta. (1) Dedecus ſummum eſſet apud exteras gentes, non eſſe inter Polonos idoneum ad Sceptra virum [2] Exteri jus aliqvod in Regnum Poloniae ſibi praetenderent. (3) Coarctatio haec eſſet liberae vocis in electione. [4] Dicerent alienigenas, Polonicam gentem ad ſervitutem natam,

tam,

tam, parere scire, regere nescire. *Vid. Auctor Censurae Candidatorum Sceptri Poloniae A.* 1699 edit & PAULUS PIASECIUS *in Chronico ad An.* 1584 *

§. VII. Nunqvam etiam Regia proles, qvod ex §. 3. liqvet a sceptro Polonico excluſa. imo aliqvando e Clauſtris Monaſticis Regni faſcibu tractandis admota fuit, uti qvoqve ex inferioribus magis patebit. Sunt enim Poloni memores factorum ab anteceſſoribus praeceptorum, ut proximos ſangvine non facile praetereant. ſed eis, Rege defuncto, diadema Regium imponant. Clariſſimum in ſententiam noſtram habemus teſtimonium FIRLEI *Epiſcopi Praemisliensis in Oratione*, quam habuit, cum electio Vladislai IV. A. 1632. poſt obitum Sigiſmundi III. agitaretur, ubi inter cetera inquit: "Qu[illegible] quantumvis iſti clariſſimae" liberaeque genti (intelligit Polonam) Reges" non dominentur, ſed praeſint, nec naſcuntur," ſed per libera Ordinum ſuffragia eligantur," innatam tamen ei fuiſſe ſemper talem erga Re" gium ſangvinem obſervantiam, ut nunquam" prolem ſuperſtitem Regiam in eligendo novo" Rege praeterierit, im[illegible] etiam ſemper omnibus a-" liis Competitoribus praetulerit. "Cui nomine Senatus Archiepiſcopus Gneſnenſis inter alia reſpondit his verbis: "Ordinem iſtum (nempe Sena-" torium

torium) patrium morem colendi Regiam pro-" geniem non ignorare, eumque sequi velle," tantoque magis, quod parentum virtutes in fi-" liis agnoscat, speratque istos vestigia illorum " imitaturos. Ceterum cum praescriptis legibus" huius Regni electionis Regis modus expoſcat," ut non nisi collatis suffragiis unanimi consensu" de sufficiendo Rege Ordines decernant, ista" necessario praecedere debere," ut est apud PIASECIVM *in Chronic. ad A.* 1632. Quin & faemineae prolis Regiae a Polonis habita fuit ratio. Sic, Vladislaus Iagello, Magnus Lithvaniae Dux, Rex in Polonia Seculo XIV. creatus, non modo quod baptismo & Sacris Christianorum cum omnibus Lithvaniae & Samogitiae tribubus Regno Poloniae iungendus, se initiari passus fuerit, sed etiam quod Hedvigen Ludovici Poloniae & Hungariae Regis filiam connubio sibi adiungere uxorem voluerit. Vid. MARTINVS CROMERVS *lib. 5. Hist. Polon.* Quod Stephanus Bathori superiori seculo Princeps Transylvaniae Annam Sigismundi Augusti sororem, quamvis deinde inutilem, expetiverit, Rex Poloniae est proclamatus. NEVGEBAVER *lib.* 10. *Hist. Polon.* Inter alias rationes, quae pro Sigismundo III. Ioannis III, Sveciae Regis Filio, in Regem Poloniae eligendo militabant, erat etiam haec, quod esset natus e Cathari-

tharina Iagellonia Sigismundi I. filia. Vid. IOACH. PASTORIVS DE HIRTENBERG *in Flore Polon. lib. 5. num. 2.* Cur vero b. m. Ioannis III. filios superstites Comitia electionis nuperrimae praeterierint, inter arcana & occulta Dei consilia, Reipublicaeque Polonae fata merito numeramus.

§. VIII. An vivente adhuc Rege novus Rex & Successor in regno Poloniae denominari possit, negat quidem FVNCCIVS *in breviario Orbis hodie imperantis*, & FRANCISCVS MARINIVS *in scopo Reipublicae lib. 4.* Exemplum tamen idem Marinius de Vladislao Iagellone adfert, cui praeter mores Regni indulserunt Poloni, ut Successorem sibi vivo designaret filium Vladislaum cognomento Iagellonidem. Verum non unicum hoc exemplum solum, sed & plura ex Historia Polona peti possunt, quibus probatur, vivente adhuc Rege novum Regem vel Successorem in Regno Poloniae esse denominatum, non obstantibus *Constitutionibus, de quibus* §. 4. dictum. Sic, Casimirus Magnus, Vladislai Loctici seu Cubitalis filius, se vivo Successorem denominavit Ludovicum, Caroli Regis primogenitum filium, Hungariae Regem, qui post obitum Casimiri Poloniae Rex coronatus, utrumque Regnum non sine turbis administravit. Vid. CROMERVS

lib. 12

lib 12. *de O. & R. G. P.* & ARNOLDVS MYLIVS *in Principum & Rerum Poloniae imaginibus historicis succinctis illustratis, in Casimiro M. & Ludovico Hungaro.* Deinde Ludovicus Hungariae & Poloniae Rex natu maiorem filiam Mariam Sigismundo Caroli Caesaris filio despondit, cum Polonis certis conditionibus pactus, ut post mortem sibi Reginam reciperent. CROMERVS *lib.* 23. & MYLIVS *in vita Ludovici.* Denique Sigismundus filium Sigismundum Augustum, puerum decennem, (alii novennem fuisse dicunt) consentientibus Polonis, Regem coronari fecit. Attamen lege in posterum post Sigismundi Augusti obitum in Polonia cautum est, ne Reges vitae suae tempore alium Successorem denominarent, ut post eorum decessum libera & illaesa electio Regis Statibus & Ordinibus Regni supermaneret, ut recenset ANDREAS MAXIMILIANVS FREIDRO *in Hist. Henrici* I. *p.* 5.

§. IX. Causae interregnorum in Regno Poloniae sunt tres. Prima est mors Regis secunda est exauctoratio seu remotio, tertia est resignatio altronea. Quibus quartam addere licet, quando duobus Regibus electis impotens potentiori cedit, & potior tempore potior iure esse dicitur. Quod mortem Regis concernit, (nam de aliis causis in sequentibus §. §. videndum

dendum) defuncto eodem, Senatoribus ecclesiasticis & politicis, Officialibus omnibus, cura Regii corporis committitur, & saepe ad illius exuvias honorifice sepeliendas impensae e thesauro publico erogantur. Ne mireris, quartam nos addidisse causam, nam revera post electum iam Regem manet adhuc Interregnum in Regno, illudque demum post coronationem cessat. Vid. B. HARTKNOCH. *in Republ. Pol. lib. 2. cap. 1.*

§. X. Communiter quidem observari solet, ut Poloni non prius defunctum Regem hument, donec novus fuerit electus, proximo die post funus curatum coronandus. Sic, cum Ioannes III. p. m. d. 20. Maii A. 1674. Rex esset electus, & d. 2. Februarii A. 1675. coronatus, d. 31. Ianuarii eiusdem anni, non praecedenti alias more in Polonia usitato, Cracoviae sepultura Regum Michaelis & Ioannis Casimiri simul celebrata fuit. Epitaphium utrique Regi scriptum, ut ex Comitiis Coronationis illius anni notum est, in mausoleo conspiciebatur tale:

Ioanni Casimiro & Michaeli I.
Poloniae Regibus,
Illi Regium genus,
Huic a Ducibus Lithvaniae.
Ille pluribus triumphis insignis,
Hic clarissimae victoriae immortuus,

Alter

Alter Regno svetus purpuram nolens exuit,
Alter in privata sorte oblatam non horruit.
Ille fatur dierum & svetus regnandi,
Hic vix degustato imperio & annis,
Extremos dies alter Deo dicavit,
Alter patriae.
Cineres quoque ille melior Africano, patriae
non invidit,
Hic non extulit.
Sic dispares
Suffragiis populi iisdem sceptris dissidiis civilibus
Denique hoc tumulo aequantur,
Aeternum lugendi,
Nisi meliori locum feciſſent.

Non negamus tamen, in Historia Polona reperiri exempla eorum Regum, qui post sepultos antecessores demum creati sint Reges. Ita seculo XIV. Casimirus Magnus & ultimus Piastidarum demum Rex creatus est, cum Vladislao Locticо iusta funebria essent persoluta Vid. MARTINVS CROMERVS Episcopus quondam Varmiensis, *lib.* 2. *de O. & R. G. P.* Eodem seculo post coronationem Ludovici Regis Casimirus M. sepulchro illatus est, teste NEVGEBAVER *Hist. Polon.* seculo XV. Iosannes Albertus, sepulto iam Casimiro IV Iagellonide, electus est in Regem CROMERVS *lib.* 30. *de O. & R. G. P.* Alexander denique Rex

circa

circa initium seculi XVI. clavo Reipublicae Polonae regendo admotus est, cum Ioanni Alberto, hic Thorunii mortuo. Cracoviae iusta peracta essent. Vid. CROMERVS *loc. cit. fol.* 814. Ioannes III. d. 10. Decembr. A 1607. post electum & coronatum Regem Augustum II. apud Patres Capucinos Varlaviae humatus est, qvamvis funebria solennia ante ipsam coronationem Regis hujus Cracoviae fuerint peracta.

§ XI. Cum dubii antiqvissimorum Regum sunt annales, a Vladislao Iagellone ad Ioannem III. duo tantum sunt Reges, qvi ibidem vale dixerunt mundo, ubi Respublica eos dixit Reges, Varsaviae scilicet, utpote Sigismundus III. d. 30 Aprilis A. 1632 & Ioannes III. A. 1696. vigilia Festi S S. Trinitatis. Alii extra locum electionis a seculo XV. fatis defuncti sunt, ut ex historia Polonica notum est. Iagello Cracoviae electus, in Castello Russiae Grodek mortuus est. Vladislaus Iagellonides Brestiae in Cujavia electus, ad Varnam periit. Casimirus IV. Rex declaratus Brestiae Grodnae in Lithvania decessit. Ioannes Albertus electus Petricoviae, mortuus Thorunii, cujus Epitaphium in Templo Ioannitico simul Nicolai Copernici visitur, & positae supra ejus effigiei haec infra sunt verba scripta: Illustrissimus Princeps & Dominus Albertus Rex Poloniae hic Thoruniis

Biblioteka Uniwersytecka w Toruniu

A. 1501. d. 17 Iunii apoplexia moritur, cujus viſcera hic ſepulta, corpore Cracoviam translato, Anno Regni 8. Alexander electus Petricoviae, obiit Vilnae. Sigismundus I electus Petricoviae, fatis functus eſt Cracoviae. Sigismundus Auguſtus Rex Cracoviae ſalutatus, Kniſini in Lithvania ſupremum diem clauſit. Henricus Valeſius Varſaviae electus, & ut Rex Galliae ad S. Clodoaldum, qvod duabus leucis ad Seqvanam ſitum eſt oppidum, a ſicario interemtus. Stephanus Bathori Varſaviae electus, Grodnae deceſſit. Vladislaus IV. Varſaviae electus, Merecii obiit. Ioannes Caſimirus Varſaviae Rex proclamatus, Nivernae in Gallia mortuus. Michael Koributus Varſaviae itidem electus, & Leopoli exſtinctus, ſangvinis profluvio ex ore ac per ſeceſſum manante, cujus cauſam in adamantino pulvere ab inimica manu ipſi praebito recubuiſſe, nonnulli teſtantur. Inde ſubtili aeqvivocatione a morte ſanctorum deſumta, in obitum ejus luſum eſt:

Si pretioſa eſt mors ſanctorum,
Vere Michael Rex Poloniae
Sanctos inter primarios numerandus eſt.
Mors enim ipſius fuit pretioſiſſima.
Qvis non pretioſam mortem exiſtimet,
Qvae adamantibus comparata eſt.

Vid. BECMANNVS in *hiſtoria orbis terrarum geograph.*

geograph. & civil. de Regn Polon p. 481 & NICOL. de CHWAŁKOWO CHWAŁKOWSKI *in singularib. Polon.*

§. XII Regi Poloniae imperium abrogari posse, probatur ex ejus juramento qvod in Coronationis actu praestare solet nosqve illud inposterum dabimus integrum, ubi inter cetera juratæ circa finem. "Etsi [qvod absit:] in aliqvibus" juramentum meum violavero, nullam mihi in-" colae Regni omniumqve dominiorum unius-" cujusqve gentis obedientiã praestare debebunt," imo ipso facto eos ab omni fide, obedientia," Regi debita, liberos facio, absolutionemqve" nullam ab hoc meo juramento a qvoqvam pe-" tam, nec ultro oblatam suscipiam," Qvae verba eo spectant, Regem sibi abrogare imperium, & Regno se deponere, si in omnibus articulis & punctis omnibus Regni incolis non satisfecerit. Insuper exempla plurima in historia Polona prostant multorum Regum, qvi throno Regio dejecti, & deturbati sunt. In periodo prima, extincta Lechi stirpe, non uni principatum deferebant Poloni, sed duodecim Voievodas sive belli duces (qvi hodie Palatini dicuntur) ex tota gente excellentiores elegerunt, iis summam rerum committentes; sed cum hi ambitione correpti, discordesque agere ac inter se Regnum captare coeperunt, horum dominationi

pertaesi, Cracum a quo Civitas Cracovia aedificata, circa A. a N. C 700. sibi elegerunt. Vid. MART. CROMERVS *lib. 2. de O. & R. G. P.* In eadem periodo Leszczek vel aliis Lescus II. quod per insidias ad Regnum pervenerat, non diu post Regno remotus, & quadrigis distractus est. Vid CROMERVS *loc. cit.* & ARNOLDVS MYLIVS *in Principum & Regum Poloniae imagin. histor. succinct. illustrat. fol.* 6. Popielus iunior, seu IOANNI DLVGOSSO Popielius II. a divina nemesi Regno deiectus est, & a muribus corrosus, qui e corporibus mortuorum patruorum veneno sublatorum putrefactis nati erant. Vid. VINCENT. KADLVBKO *lib. 1. Hist. Pol.* §. 39. In secunda periodo Boleslaus II. cognomento Largus & Audax. cum in omne ruisset libidinum genus, & monitus a Stanislao Szczepanovio Episcopo Cracovienſi, eum coram altari sacra operantem propria manu interfeciſſet, membratimque dissecari iussisset, Georgius VII. P. R. Regis huius atrocitate motus, toti Poloniae Sacris interdixit, Regem diris devovit, Regnumque ipsi abrogavit, hinc profugus in Carinthiae Monasterio Ossienſi mortuus, hoc Epitaphium meruit: "Hic jacet Boles-"laus Rex Pol occisor S. Stanislai Episcopi Cra-"covienſis." *Vid. Commentator* KADLUBKONIS *lib. 3. epist.* 22. & CROMERVS *lib. 4. de O. & R. G. P.*

O. & R G. P. In eadem periodo Miecislaus II. sive senex quater Principatu motus quater illum consilio & ope Helenae, matris Lesci Albi impetravit Vid. CROMERVS *lib.* 6. & 7. *de* O. & R. G. P. Imo & Vladislaus Lasconogus principatu exclusus fuit, & Lescus Albus ad illum denuo accersitus Vid. NEVGEBAVER *lib* 3. *Hist. Polon. p.* 127. In tertia periodo nulla quidem sunt manifesta exauctorationis indicia: in ultima tamen memorabile est exemplum Henrici Valesii, qui audita fratris morte Caroli IX. Regis Galliae, cum fugisset mense Iunio A. 1574. clam e Polonia ad capessendum Galliae Regnum, & diu Rex quamvis per legationes & literas invitatus expectaretur, tandem d. 7. Novembr. praedicti anni in Comitiis Generalibus abrogatum est ipsi imperium. Vid. FREDRO *in Histor. Henr. I.*

§. XIII. Violenta qvidem erat Regni abdicatio a Venda, aliis Vanda, Craci regis filia, suscepta, qvae in Vistulam se vivam praecipitem egit, ne Ritigero Principi in Germania finitima, & tempestae illustri potentiqve, nuberet. Vid. SALOMON NEVGEBAVER *lib.* 2. *Hist. Pol. p.* 43. De ea sic NICOLAUS de CHWAŁKOWO CHWAŁKOWSKI *in Singular. Polon. p.* 7. "Venda maluit esse Princeps, qvam Principis uxor, maluit pugnare qvam amare: post" victoriam in victimam se immolavit; hostis a-"

"mans & amens infelicem sibi manum injecit, il-
"la triumphans in Vistulam se projecit. Rara
"contemtrix amoris, victoriae, vitae." Anno 1203, Lescus, cognomento Albus, omnium suffragiis Princeps creatus, fraude vero doloqve Miecislai bis principatu motus, cum illi tertium fasces principatus Poloniae, maxime refraganti-bus Nicolao Palatino, & Fulcone Episcopo Cracovienſi delati essent, ea tamen lege, ut Gosvoricium Palatinum Sendomirienſem, qvi Principem locum in consilio & amicitia Lesci ejusqve matris Helenae habebat, relegaret, atqve aula sua pelleret, sponte sprevit oblatum Principatum, atqve illum tanti se facere negavit, ut ejus adipiscendi gratia tam fidum consiliarium proderet, immerentemqve magistratu & patria simul ejiceret, proinde Cracovienſibus Proceribus rescripsit alium sibi qvaererent, se in paterna ditione sua acqvieturum esse potius, qvam per scelus principatu potiturum. Vid. NEVGEBAVER *lib.* 3 *Hist. Polon. p.* 125. Cognita Lesci sententia Nicolaus Palatinus Cracovienſis summo studio contendens, perficiebat, ut Vladislao Lasconogo, Mieceslai senis filio, qvamvis absenti principatus deferretur, quem ille quidem invitus, & non nisi de consensu & voluntate Lesci suscepit, atque ad mortem Nicolai administravit, excluso deinde Vladislao summa rerum

ma rerum ad Lescum rediit. Vid. NEVGEBAVER *l. c. p.* 126. *& seq.* Insuper Vladislaus Iagello, iustis coniugis suae Hedvigi, foeminae castissimae & continentissimae, peractis, de retinendo regno dubitans, quod non ignoraret, se exterum uxoris nomine apud liberam gentem eousque regnasse, in Russiam secessit, cogitabatque se ultro abdicare Regno, & ad Lithvaniae Magnum Ducatum, ceu ad paternum principatum, redire potius, quam ut vi & armis e Polonia pelleretur; Sed haec eum cogitantem Proceres Poloni placide consolati confirmarunt, cum ei quoque studia sua inposterum detulissent, atque Annam, Wilhelmi Ciliae Comitis filiam, & Casimiri Regis neptem, in matrimonium dedissent. Vid. NEVGEBAVER *lib.* 5. *Hist. Pol. p.* 241. Post medium huius Seculi memorabile est exemplum spontaneae abdicationis in Ioanne Casimiro, qui A. 1668. d. 16. Septembr. in Comitiis Varsavienſibus diadema Regium deposuit, & pro throno torum, pro regali globo glebam terrae elegit, quod pluribus ex sequenti §. patebit. In capitulatione tamen Michaelis articulus insertus fuit, in quo Rex pro se & Successoribus suis de non abdicando Regno cavit, qui deinde in pactis conventis Ioannis III. expunctus est.

§. XIV. Circumstantias spontaneae abdicationis

dicationis a Ioanne Casimiro Rege susceptae & peractae commode dispescemus in antecedentes, concomitantes & consequentes, easque verbis ut plurimum dabimus NICOLAI CHWALKOWSKI, qui actui abdicationis Casimirianae interfuit, eumque descripsit *in Iure Publico Regni Poloniae lib. 1. cap. 3. num. 4.* & ex eo B. HARTKNOCHIVS *lib. 2. Reipubl. Polon. cap. 1. num. 5.* Inter circumstantias antecedentes est, 1.) quod Ioannes Casimirus A. 1668. d. 12. Iunii Senatoribus Regni mentem suam de reddendo diademate explicuerit. 2.) Quod hoc propositum iam pridem exequi voluerit, vivente adhuc Sereniſſima Regina Maria Ludovica, sed ob bellum Moscoviticum motusque internos idem praestare nequierit. 3.) Quod pace in Regno constituta, & Moscoviticis induciis firmatis, pristinam sententiam suam quantocius in effectum dare firmiter constituerit. 4.) Quod Senatores, audita hac voluntate, preces submissas de mutanda sententia interposuerint. quibus nihil effectum. 5.) Quod notitiam hanc de tristi & insperata abdicatione Archiepiscopus Gnesnensis Primas Regni & Legatus Natus Prazmowski per Provincias Regni & Magni Ducatus Lithvaniae divulgaverit (6) qvod in comitiorum (qvibus dies 17. Augusti dictus fuit Varsaviae) exordio,

exordio, post consveta manus Regiae oscula, Nuntii Terrestres per Mareschalcum suum Succamerarium Lancicienſem Stephanum Garnowski turbatos animos suos explicuerint, humiliter rogando, ut Sacra Regia Mejestas declaratiónem suam impertiri dignaretur. 7.) Qvod Andreas Olszowski tum temporis Episcopus Culmensis & Vice Cancellarius d. 12. Augusti Nuntiis Terrestribus respondérit, & plenius die seqventi e scheda formulam de abdicando Regno a Rege conceptam praelegerit. 8.) Quod d. 3. Septembr. cum Senatus tum Ordo Equestris Regem precibus suis emolliverint, ut declarationem suam in crastinum differret, quae 4. Septembr. per praedictum Episcopum peracta. 9.) Qvod post 4. Septembr. per aliquot dies consultatum sit, ne Regem tot meritis gravem a se dimitterent egenum. Inter Circumstantias Concomitantes est 1.) Quod Rex d. 16. Septembr. Basilica S. Ioannis visitata, & Sacro ibidem audito, in palatium Senatorium ingressus, diploma abdicationis praelegendum curaverit per Ioannem Małachowski tum Regni Referendarium, deinde Episcopum Culmensem & Vice-Cancellarium, jam Episcopum Cracovienſem. 2.) Quod Mareschalcus Equestris assecurationem ratione provisionis Regi dandae, nempe centum quinquaginta millia flo-

renorum annuatim itidem praelegerit, item diploma reversalis Statuum & Ordinum, quae omnia deinde ab omnibus & singulis subscripta sunt. 3.) Quod Rex diplomata electionis & coronationis rubro involata serico Reipublicae, a qua ante viginti fere annos acceperat, reddiderit. 4.) Quod valedicturus Regno moestum sermonem habuerit, huius tenoris: "Quando iamiam elabitur hora, ut paterni amoris debitum a 280. annis pupillae domus meae huic Inclytae Reipublicae exolvam, Comitiis & castris defessus, calamitatibus per annos viginti fractus, Rex & Pater, quod mundo pretiosissimum est, coronam in manus Dominationum Vestrarum deponam, pro throno torum eligo, pro Regali globo glebam terrae, eamque in sinu charissimae matris, communis meae vestraeque patriae, intra cineres Maiorum meorum mihi reservo, ut quemadmodum me primum in castris, ac ultimum ex praeliis & clade vidistis, ita in annalibus primum, ob amorem patriae augendaequae eius fortunae humana postponentem, Maiestatemque Regiam dispositioni vestrae reddentem, memineritis. Amor vester liberis vocibus huic me solio imposuit, amor vicissim meus erga vos supremum me utriusquae lineae haeredem libere dimittit. Monarchae ceteri filiis,

liis, fratribus aut consangvineis abdicando co-" ronam tradiderunt: ego eandem patriae cha-" rissimaeque Reipublicae ut pater & filius red-" do, eiusque amore ex Duce gregarius, ex im-" perante parens, ex Rege concivis fio, ut iu-" niori & Reipublicae magis proficuo locum" c:ncedam, cuius in electione ut Deus Domi " nationes Vestras prosperet, in solitudine mea" negotiorum vacuus Maiestatem eius sanctam" implorabo. Gratias iam igitur vobis pro o-" mnibus charitatibus, officiis, susceptis pericu-" lis, pro consiliis, praesidio & reditibus ago." Si cui ex rationibus status vel fatorum quid" ingratum accidit, condonet, quaeso, ipse vi-" cissim omnibus do veniam. Sic tamen ulti-" mum vale singulis dico, & cordi meo vos ap-" primo, in quo dulcem vestri memoriam, quo-" ad vixero, circumferam. Benedictionem in" super paternam omnibus & singulis impertio," & qvanquam distantia loci disiunctus fuero," animo certe a communi matre nunquam di-" vellar, in qua corpus hoc in cineres olim re-" solutum deponi desidero. Et cum labilis me-" moria ac luctus in lacrymas effusus plura ef" fari non permittat, uberiora amoris & cando-" ris mei argumenta ex charta hac, qvam ad" praelegendum trado, intelligetis." Schedam illam a Rege porrectam Vice-Cancellarius non

sine

BIBLIOTEKA ELBLĄSKA

sine lacrymis & graviori luctu praelegit hunc in modum: "Iam dudum est hoc meum non in-
"terreptum boni publici & tam valetudinis
"quam conscientiae meae rationibus innixum
"propositum, Coronam hanc a Dominationi-
"bus Vestris capiti meo impositam, & a tot an-
"nis per Antecessores meos possessam, in ma-
"nus & ad liberam dispositionem Dominatio-
"num Vestrarum solemni reddere abdicatione.
"A prima mea, quam mihi amor dictavit in
"Comitiis An. 1661. declaratione, semper in
"me reposita mansit opinio, quod debuerim
"Reipublicae consulere, ut me vivente ante-
"verterentur pericula illa, quibus inopinatum
"Interregnum ex fundamento eandem movere
"& turbare posset. Praestolatus sum tantum
"eiusmodi, uti nunc sunt tempora, quando
"Respublica a Confoederatione militari, turbis
"internis, bello Moscovitico, pacata, commo-
"de & sine distractione sibi consulere & libere
"vacare electioni potest. Adducit me ad hanc
"abdicationem cura salutis aeternae, quam uti
"quilibet contemtu terrenorum sibi conciliare
"tenetur, ita difficilius mihi foret eandem in
"throno parare, si abrogatione dignitatis me-
"met humilians, & ex altissima fortuna & Re-
"giis incommoditatibus exuens, mihi ipsi atque
"animae meae reliquos non impenderem dies,

sed

sed non minus ad istud me impellit amor er" ga hanc patriam & Dominationes Vestras," quem tam difficili & insolito modo testari vo-" lo. Sentio me aetate & invaletudine infirmum," pressumque laboribus continuis, & consulta-" tionibus atque castris fractum, ut vires meae" curis regnandi non valeant sufficere, malo i-" taque me ipsum exinanire, quo ad commoda" publica Dominationum Vestrarum iuniori &" capaciori Successori fores aperiam, quando Do-" minationes Vestrae adiutorem mihi adsciscere" & adoptare nolueruns, quippe video, quod" sincerae intentiones meae sinistre explicatae," & suspicionibus quasi minus liberae electio-" nis oneratae, aliter non possint iustificari, &" Respublica hac opinione turbata aliter pacifi-" cata esse nequeat, nisi per hoc documentum" amoris mei, quando quilibet animadvertit," quod libera manebit Reipublicae electio, quod" ego deponens diadema solvo metu timentes" gratis, ac si illud peregrino capiti imponere co-" gitaverim. Magis ergo in hoc operatur apud" me ratio publicae quietis & amoris erga Domi-" nationes Vestras, quam commoditatis, quietis" propriae, & privati commodi consideratio, pro" quibus quam moderate me habeam, satis o-" stendit actus hodiernus, dum iis, dum quic-" quid mundo est charissimum, charitati Rei-"

publi

"publicae posthabeo. Protestor coram Deo' "quod per hanc abdicationem nullum praeiu- "dicium libertatis Dominationum Vestrarum "nec facio, nec habeo, nec video, sed potius "ita existimo, me per apertum Interregnum vi- "am ad augmentum eidem parare. Quod er- "go faustum felixque sit huic Reipublicae, & "apud Deum meritorium, atque apud univer- "sum orbem glorio sum, iam praemissa matura "deliberatione, sanus mente & corpore, libere, "non coactus, diadema, sceptrum, Regnum & "regimen, uti mihi est in electione delatum, & "in coronatione confirmatum, cum omnibus "quaecunque maiestati & iuribus Regum Polo- "norum & Magnorum Ducum Lithvaniae ab "antiquo competunt, nihil mihi nec alicui cui- "dam reservans, in manus Senatus Nobilitatis "& omnium Ordinum utriusque gentis abdico, "restituo, reddo, & omni meliori modo for- "maque resigno." Reliqua pete ex scheda, quam inseruit CHWAŁKOWSKI *de Iure Public. Polon. lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 16. 17. *&* 18. Denique inter Circumstantias consequentes numeramus, 1.) quod Archiepiscopus Gnesnensis Prazmowski stans gratiarum actione functus, dextram Regis, ad eiusdem genua advolutus una cum Ordine Senatorio osculatus sit. 2.) Quod Mareschalcus Ordinis Equestris idem egerit,

egerit, rogans insuper Ioannem Casimirum, ne innatum erga patriam communem mutaret affectum, promittens insimul gratam populi Sarmatici erga Principem observantiam. 3.) Quod Pro-Cancellarius Ordines & Status de gratia Principis certos reddens, eius dextram supremis venerandam osculis obtulerit. 4.) Quod Senatus discedentem Regem comitatus sit, eique extremum vale dixerit. 5.) Quod Rex, Successore Dei liberique populi voce designato, extra fines Regni in Galliam discesserit, ubi intra quadriennium d. 16. Decembr. An. 1672. mortalitatis opus Niverniae explevit.

§. XV. Ordinarie statum Interregni moderatur Archi-Episcopus Gnesnensis & Primas Regni, qui ideo Sacerdotalis est Ordinis, quod in Sacerdotem suspicio Regni affectati cadere non potest, & licet a Pontifice Maximo non fuerit confirmatus, iam tamen ei potestatem Interregis officio defungendi concessam esse, ex Interregno post obitum Michaelis Koributhi Regis, quando Casimirus Florianus Dux in Czartoryск tantum denominatus fuit Archiepiscopus, neque a Papa adhuc approbatus, omnia tamen Interregis munia peregit. Vid. CASIMIRI ZAWACKI *Diarium electionis Michaelis Koributhi Regis*, cui titulus: *Gloria orbi Sarmatico consensu monstrata.* Is itaque Ordines

Rei-

Reipublicae per diploma ex Cancellaria sua de morte Principis certiores reddit, Conventus particulares & Convocationem seu Consilium generale indicit, ac extra orbitam Regi divaganti nomine Senatus regulas praescribit. Non modo mortuo Rege, sed etiam extra Poloniam profecto, Archiepiscopus Gnesnensis officii sui partes exercet, ut factum est tempore Henrici in Galliam, & Sigismundi III in Sveciam discedentis. Absente per mortem Archiepiscopo, vel legaliter impedito, cura Interregni in Episcopum Cuiaviensem seu Vladislaviensem & Pomeraniae devolvi solet: & utroque hoc absente in Episcopum Posnaniensem. Haec praerogativa Episcopo Posnaniensi fuit collata in Conventu Andreoviensi, & decreto Ordinum Cracoviae An. 1576. d. 25. April confirmata, quod habet STANISLAVS KARNKOVIVS *lib. 3 epist. illustr. viror.* Sic enim inter maioris & minoris Poloniae Episcopos convenit, ut quamvis hi ordine praecedant illos, in Interregno tamen illi sint potiores his, qui in maiori Polonia est coronator, & in minori Corona. Atque ita Stephano Bathori, Principi Transylvaniae, factum Regni Polonici diadema imposuit Stanislaus Karnkovius, Episcopus Cuaviensis, eo quod Archiepiscopus Iacobus Vchanski Maximiliani partes sequeretur. Ita Constantiae

stantiae Coniugi secundae Sigismundi III Petrus Tilicki Episcopus Cuiavienſis coronam imposuit licet Bernardus Macieiovius Cardinalis & Archiepiscopus designatus fuerit. Vid. STANISLAVS LVBINSKI *de ortu civili lib.* 1. Andreas Trzebicki Episcopus Cracovienſis Ioannem III. nominavit Regem, non refragante Episcopo Cuiavienſi Gembicki. Anno 1697. d. 27. Iunii in campo electorali Fridericus Augustus Elector Saxoniae in Regem Poloniae a Stanislao Dąbski Episcopo Cujavienſi denominatus, atque d. 15. Septembr. coronatus, licet Michael Radzieiowski Cardinalis Archiepiscopus & Primas Regni Ludovicum Franciscum Borbonium Principem de Conti denominaverit.

§. XVI. Tempore Interregni Interrex cum Senatoribus initio Interregni se confert Varsaviam, Interregnum universis Ordinibus Poloniae & Magni Ducatus Lithvaniae denuntiat per literas typis exscriptas & signo suo munitas, quae polonico stilo Vniversales vocantur, in quibus 1.) continetur causa Interregni. 2.) Publicari iubetur Interregnum in omnibus Palatinatibus, districtibus & castris. 3.) Tempus indicitur Comitiolorum sive Conventuum particularium. 4.) Generalis Regni Convocatio Varsaviae ad praestitutum in Vniversalibus

diem per Nuntios instituitur Praesentibus Varsaviae Nuntiis Terrestribus eligitur Mareschalcus Convocationis Comitiorum, qvo electo, ad reqvisitionem Interregis conclavia coniunguntur, & in Senatorio ejusdem propositionem audiunt. Deinde Confoederationis vinculum, qvod Poloni Kaptur vocant, & post mortem Ludovici Regis An. 1382. primum introductum est, sub fide, honore & conscientiis redintegratum, de interna & externa securitate prospicitur, de solvendis militum stipendiis tractatur, & alia constituuntur, qvae enarrat ANDR. MAXIM. FREDRO *in Hist. Henrici I. p. 6. seqq.* Interrex porro Comitia electionis in Conventu Convocationis definita, per Poloniam & Lithvaniam divulgat, Regem denominat & denique coronat.

§ XVII Iam de Capturali Iudicio non nihil afferendum, quod tempore Interregni constituitur. Dicitur autem illud a Kaptur, qvae proprie est Confoederatio contra turbatores pacis & fastuosos Cives tempore Interregni inita, a velo capitis sic denominata, vel qvod Respublica sit in luctu, vel quod ea ceu tegumento salus Reipublicae protegatur. Ab hoc Kaptur dicitur Iudicium Capturale, quod duplex est, aliud generale, in quo judices juramento obstringuntur, qvod Tribunalitii praestare solent

lent Iudices, & decreta in illo secundum pluralitatem suffragiorum feruntur, cui juramento inter alia haec inseruntur: "quod in nullis causis cointelligentiam sint habituri, neque "qvenqvam praecustodituri, neque consilium" cuiquam daturi, neque munera accepturi." Vid. *Statuta Regni Poloniae a* IOANNE HERBVRTO DE FVLSTEIN *collecta p.* 153. & 154. Assessores huius Iudicii sunt 1.) Mareschalcus Regni & Mareschalcus Magni Ducatus Lithvaniae, Mareschalcus Curiae Regni & Curiae Magni Ducatus Lithvaniae. 2.] Senatores tres ab Interrege designati, ex singulis trium gentium unus. 3.] Duodecim eqvestris Ordinis a Mareschalco Nuntiorum Terrestrium electi, ita ut ex singulis trium illarum gentium sint qvatuor. Causae, quae hic ventilantur, sunt, de proditione patriae, apparatu bellico, defensione in spiritualibus & civilibus publica. Decreta praefati Iudicii Notarius Varsavienfis Terrestris, praemisso super secreta non relevanda juramento, sine facultate tamen ferendae sententiae, connotat. Aliud est particulare quod initio Interregni in Conventibus particularibus consensu Nobilium omnium ex Nobilitate potiori constituitur. Iudicant hi causas 1.] de stupro, 2.) de depraedatione viae publicae, 3.] de incendio & immissione

ignis, 4.) de invasione violenta domus, 5.) de personali injuria, 6.) de liqvidis exemptionibus & aliis criminalibus, quae in Confoederatione exprimi solent. Huic Iudicio personae omnes, cujuscunque illae Status & conditionis fuerint, item praefecti militum & ipsi milites ratione excessuum & damnorum subesse tenentur, ut patet ex *Ordinatione Iudiciorum Interregni in Conventu Generali Mariaeburgensi An.* 1649. *d.* 15. *Iunii sancita* & Thorunii typis excusa. Capturalia Iudicia in singulis Palatinatibus cessant tribus hebdomadis ante Comitia electionis, in ipsa electione, (quia tunc Capturale Generale Iudicium habetur) & tribus hebdomadis post electionem. Deinde prorogantur ad Coronationem Regis, sub initium autem illius iterum cessant, & quae causae plenarie in iis non sunt decisae, Iudiciis Castrensibus ulterius examinandae committuntur.

§. XIIX. Ceterum in Civitatibus Iudicia nulla cessant, sed more solito administrantur, non tamen cum provocatione ad supremum tribunal vel ad Regem, hinc & Cancellariorum officia tempore Interregni plane cessant, quia Capturalia Iudicia Nobilitatem solam & quae ei subsunt, concernere videntur; attamen non iudicant haec Iudicia civiles causas & cognitio-

nes

nes iurium, neque causas bonorum civilium, neque finium regundorum, neque causas in aliis Iudiciis jam ventilatas, vel saltem coeptas, neque causas fisci. Haec namque Iudicia tempore Interregni prorsus cessant. Vid. *Constitutio An* 1633. *fol.* 10. Cessant etiam hoc tempore Iudicia Tribunalitia & alia ordinaria post denuntiatorias Archiepiscopi literas. Hinc mortuo Sigismundo III. An 1632, Lublinense tribunal (quod est pro minori Polonia, ut Petricovience pro maiori) ad octavum post diem continuatum est, atque eos, qui mortem Regis divulgarunt, in carcerem compingendos curavit, donec Archiepiscopus per literas Regis mortem significavit. Vid. PAVLVS PIASECIVS *ad annum praedictum.* Propterea vero ordinaria illa Iudicia cessant, quia Interrex negotia Reipublicae cum adiunctis sibi Deputatis ex minori maioriq; Polonia, ut & ex Magno Ducatu Lithvaniae, quorum numerus magnus satis esse solet, tractare tenetur; quae vero graviora sunt negotia, & animam Interregni concernunt, ea pro decisione Ordinum ad electionem servantur. Vid. *Confoederatio Generalis A.* 1668. *& A.* 1674. Ecclesiastica tamen Iudicia Interregni tempore minime abolentur.

§. XIX. In Convocatione sub tempus Interregni haberi solita non tantum Senatores,

sed etiam Nuntii Terrestres Varsaviam ad praestitutum diem se conferunt, de securitate, de loco & tempore Regis eligendi deliberaturi, ab Archiepiscopo per literas universales, nominibus etiam praesentium Senatorum subscriptis, invitati. Ante Convocationem Regni generalem in singulis Palatinatibus & Districtibus Comitiola celebrantur, in quibus non modo Confoederationes pro securitate Reipublicae fiunt, post in Convocatione generali approbandae, sed & Nuntii eliguntur ad illam Convocationem mittendi. Vbi Varsaviam ad praefinitum diem confluxere, a Sacris in Templo Ioannitico negotia sua auspicantur, quibus peractis, Senatores in Senatorium, & Nuntii Terrestres in conclave suum ingrediuntur, tum Nuntii Mareschalcum per pluralitatem votorum sibi eligunt & electum Senatui per Deputatos ex tribus gentibus denuntiant. His Interrex de novo Mareschalco gratulatur, & vult utraque conclavia arctius coniungi, ut Nuntii cum Senatoribus de salute Reipublicae conservanda in commune consilia sua conferant. Introducit deinde Mareschalcum Terrestrem Mareschalcus Regni, vel alius in Senatorium, baculum Mareschalcalem praeferens quem comitantur Nuntii Terrestres, atque Mareschalcus Equestris inter Mareschalcum Regni & Magni Ducatus Lithva-

thvaniae, vel alios Officiales tum temporis praesentes, in sella considens, nomine Nuntiorum dolorem suum super Rempublicam Senatui detegit, eumque hortatur, ut communibus consiliis salutem Regni stabiliant. Respondet ipsi Interrex nomine Senatus, gratias Ordini Equestri pro electo fine turbis Mareschalco agendo, & capita futurarum Consultationum proponendo, quae iam fere in capite huius §. nominavimus. Constituitur quoque Confoederatio generalis omnium Ordinum contra publicos pacis turbatores, Legati ad vicinos Principes renovandorum foederum ergo mittuntur, literae exterorum Monarcharum in Senatu leguntur, & Legati audiuntur, atque auditi, Varsaviae tunc ne resideant, cavetur, nec minus ad exercituum duces ex Senatorio & Equestri Ordine nonnulli ablegantur, ut consilia bellica mature & dextre possint peragi: insuper ad octo Senatores, sub quorum sigillis & clavibus thesaurus Regni asservatur, multi alii ad revidendum thesaurum, tam ubi insignia, quam archiva Regni deposita sunt, deputantur: ad revisionem etiam Oeconomiarum Commissarii nominantur, qui sub tempus electionis de statu redituum Rempublicam informare tenentur. Denique futurae electioni dies praefigitur, atque a Senatorio atque Equestri Ordine jura-

mentum praestatur, quod in electione futura nullus privatum commodum sit quaesiturus. Post Convocationem hanc denuo in singulis Palatinatibus Comitiola habentur, in quibus Nuntii Terrestres Nobilitati suae referunt, quae in Convocatione Regni generali sint acta, & diem futurae electioni destinatum denuntiant. His peractis, Nobilitas non modo ad Comitia electionis Nuntios denominat mittendos, sed & de rebus deliberat in futuris electionis Comitiis ventilandis.

§. XX Postulat iam ordo dicendorum, ut de electione ipsa exponamus, postquam dies ei certus est praestitutus. Quod ad locum electionis attinet, non semper idem fuit observatus, quod iam ex superiori §. undecima patet. Cracum fuisse electum Gnesnae & eius Successores usque ad Piastum, qui Cruswiciae electus. Vid. MART. CROMERVS. *lib.* 2, *de O. & R. G. P.* Vladislaus Iagello Cracoviae, Vladislaus Iagellonides Cujaviae Brestiae, item Casimirus IV ibidem Reges declarati: Ioannes Albertus, Alexander & Sigismundus I, Petricoviae electi sunt, quo pertinent verba MATTHIAE A MIECHOVIA *in Chron. Polon. lib.* 4. *cap.* 80. Ius mosque Reges eligendi olim fuit Petricovia, Sigismundus Augustus Cracoviae fuit Rex designatus: ab Henrico Vale-

Valesio usque ad Glorioſiſſimum Auguſtum II. Varſaviae, hoc eſt, prope Varſaviam & pagum Woła in patenti campo locoque a Mareſchalcis gentis Polonicae & Lithvanicae foſſa deſignato omnes eligebantur Reges. Ante electionem iubet lex, ut prius exorbitantiae diſcutiantur, & vulnera Reipublicae ſanentur. Vid. *Confoederatio anni* 1674 *p.* 9.

§. XXI. Cum dies electionis deſtinatus illuxit, a Sacris in Templo Ioannitico fit initium, (nuper Reverendiſſimus Epiſcopus Plocenſis Zaluſki concionem habuit, quae Polonicis & germanicis typis expreſſa proſtat) poſtea prope pagum Woła Senatorius Ordo in aedificium, Szopa Polonis dictum, Ordo Equeſtris in Rotam Equeſtrem confluunt, cum ipſa urbs Varſavia tantum electorum multitudinem non capiat. Poſt eligitur Mareſchalcus, ſive conſenſu omnium Nobilium, ſive Rotae Equeſtris, & quidem eo ordine, ut ſemel e maiori Polonia, deinde minori, & tertio e Magno Ducatu Lithvaniae eligatur Mareſchalcus, praeteritae Convocationis generalis Mareſchalco interea res moderante. Electus Mareſchalcus fidem ſuam iuramento obſtringere cogitur Nobilitati, ut factum eſt in electione Ioannis III. An. 1674. d. 20. April. quod officium fideliter adminiſtraturus, nulla munera accepturus,

cum nemine Candidatorum conventus privatos habiturus & authenticum electionis liberae sine consensu totius Reipublicae non esset subscripturus. Electo Mareschalco intromittitur Nobilitas in Senatum ad maiores fratres, quibus ore Mareschalci sui salutatis, fit propositio ab Interrege Archiepiscopo Gnesnensi, hinc proximis in Sessionibus de Iudiciis Capturalibus agitur, & de rebus ad securitatem Comitiorum electionis pertinentibus: edictum contra pacis turbatores si res ita postulat, rursus publicatur: materia de exorbitantiis vel per Deputatos in Arce Varsaviensi vel in media Rota Equestri tractatur (quae tamen in nupera electione Augusti II. & Comitiis Coronationis Cracoviae habitis non est ventilata, sed usque ad futura Comitia Generalia dilata) articuli & conditiones eligendi Regis in confessu Nobilium praescribuntur & in Senatu trutinantur: agitur etiam in utroque confessu de stipendiis militum, de correctione legum, de Confoederatione inter Dissidentes in religione &c. His rebus ordinatis mittitur cum ex Senatu tum ex Nobilitate ad Candidatorum & exterorum aliorum Principum Oratores, qui non in loco electionis (quod tamen in nupera electione factum est:) sed extra illum in locis sibi assignatis degunt; hinc ad locum electionis solemni pompa

pompa deducuntur, & per Mareſchalcum Regni in plenum Senatus conſeſſum introducuntur, ubi etiam Nobilitas cum ſuo Mareſchalco aſſiſtit. Primum auditur Legatus Pontificis Romani, cui conceditur locus inter Archiepiſcopum Gnesnenſem & Epiſcopum Cracovienſem; deinde Imperatoris, poſt haec aliorum Regum & Principum Legati, quibus locus datur inter Mareſchalcos, qui in Senatum ipſos comitati ſunt. His non Cancellarius, ſed Interrex nomine Senatus & nomine Nobilitatis Mareſchalcus Rotae Equeſtris reſpondet, atque iubentur a loco electionis excedere, eventumque electionis expectare. (quod iterum in nupera electione obſervatum non eſt, quia Legati Candidatorum ſuorum medii inter electores verſabantur.) His praemiſſis, poſtquam dies electionis advenit, omnes Senatores Equitesque in genua procumbunt, Archiepiſcopo, vel eo abſente, alio Epiſcopo maioris Poloniae, ut Cuiavienſi, vel & hoc abſente, Poſnanienſi, (ut factum eſt in Interregno poſt abdicationem Ioannis Caſimiri) praecinente hymnum: Veni Creator Spiritus &c. Eo finito totus conſeſſus ad proprios Palatinatus ſecedit, ſolo Archiepiſcopo ſe loco non movente. Ordines hoc modo diviſi vota ſua ferunt, quo autographa manibus Senatorum & Nobilium cuiusque

iusque Palatinatus subscripta a Mareschalco Equestris Ordinis consignantur, omnes deinde in unum consessum redeunt, & singula Senatuum suffragia in commune conferunt. Post haec Senatores pro electione novi Regis in consessu suo vota enuntiant, prius Archiepiscopus Leopolienſis, deinde Episcopi, hinc Palatini & Castellani, & tandem Officiales Ordinis Senatorii, in suffragio autem Primatis Regni concluſio totius Regni nominatimque consistit. Si plurima vota stant pro uno Candidato tum reliqui dissidentes partim svasionibus partim precibus partim largitionibus ad sententiae unitatem pelliciuntur. Concordantibus denique omnium sententiis, renunciatio novi Regis paullulum differtur, donec alia negotia definiantur. Sequenti vel etiam alio die conveni-entibus electoribus Interrex ab adstantibus ter rogat, num velint iubeantque Regem renunciari? cunctis acclamantibus: Placet, vivat! tum Primas Regni Regem gravi oratione renunciat, mandat etiam ad portas valli proclamare. Io triumphe, vivat Rex! Renunciatione per Primatem facta, omnes in campo patenti decantant hymnum: Te DEum laudamus! Post clangor tubarum per campos resonat, machinae tormentariae disploduntur, & plurima gratulationum laetitiaeque publicae signa eduntur, atque

que denique in Templo Varsavienſi laudes DEO pro electione feliciter peracta decantantur.

§. XXII. De iis, qui facultatem eligendi Regem habent, notandum, quod praeter Senatores & Nuntios Nobilitatis votum in electione Regis habet 1.] tota Nobilitas utriuſque gentis, conferre enim ad ſecuritatem imperantium putant & parentium conſtantiam, Regem per omnes eligi, ait FREDRO *in Hiſtoria Henrici l.* 2.] Eligunt Regem Duces Pruſſiae & Curlandiae. Vid. PAVL. PIASECIVS *in Chron. fol.* 529. 3.) Cracovienſium & Vilnenſium Nuntii ex antiquis privilegiis ius obtinent eligendi Regem. Vid. AARON ALEXANDER OLIZAROVIVS *lib.* 2. *de politica hominum ſocietate cap.* 1. 4.) Civitatibus maioribus in Pruſſia, utpote Thorunenſi Elbing. & Gedanenſi, poteſtas ſuffragii in electione Vladislai IV. conceſſa eſt. PIASECIVS *l. c. f.* 541. 5.) Milites quoq; & Coſaci poteſtatem ſibi vendicabant eligendi Regem per Nuntios ſuos in electione Vladislai IV. ſed ut illis ea non fuit conceſſa, quod ſtipendia Reipublicae merebantur, niſi hac cum cautela, ut quilibet miles ad ſuum Palatinatum rediret, & cum ceteris Nobilibus hoc iure demum gauderet; ita hi plane ſunt repulſi, ut gens ex ultima plebe collecta. Vid. PIASECIVS *loc. cit. f.* 530. Hinc male ſibi Reipublicaeque conſu-

luerunt

luerunt Poloni, cum ad tot millia hominum ius eligendi Regis pervenire passi sunt. Si enim inter pauc os electores diversae reperiuntur sententiae, quid sentiendum de tot millibus electorum in Polonia? ubi vel unus Nobilis dissentiens ceterorum omnium & Senatorum & Nobilium vota pro huius & illius Regis electione lata eludere potest. Communi itaque sermone iactatur in Polonia, quod Deus in Comitiis Polonicis maiora patrer miracula, quam in ipsa mundi creatione, cum in hac nullam habuerit materiam repugnantem, in Comitiis autem Polonicis plurimam. Ideo morem hunc, Regem ab omnibus eligi, improbavit Ociessius Regni Poloniae Cancellarius, apud CHRISTOPHORVM VARSEVICIVM *lib. 1. de optimo statu libertatis p. 46. seq*

§. XXIII. Candidati Regni Poloniae possunt partim esse incolae, partim exteri, secus ac in Imperio Germanico, ubi electio Imperatoris ad nationem germanicam est adstricta; secus ac in Pontificia aula, in qua electio Pontifi is Romani ad nationem Italicam est devoluta; Regis Hispaniae ad Hispanicam; Galliae ad Gallicam, & sic porro. Quod incolam seu Piastum eligere possint in Regem Poloni testatur hoc seculo Vladislaus IV. & Ioannes Casimirus, Michael Koributus & Ioannes III Et quidem

quidem Vladislaus IV. unanimi omnium consensu a Ioanne Wężyk Archiepiscopo Gnesnensi renuntiatus; post Vladislaum frater Ioannes Casimirus, frustra renitente Carolo, rerum polonicarum potitus, & a Matthia Lubinski Archiepiscopo Gnesnensi coronatus; post mortem Ioannis Casimiri inter alios Candidatos fuit Illustrissimus atque Celsissimus Princeps Boguslaus Radziwił, Dux Birsarum, Dubinkorum Sluciae & Kopiliae, &c. Et in nupera electione Candidati fuere tres filii Ioannis III. Iacobus Ludovicus, Alexander, & Constantinus. Ab excessu Henrici I. itidem ex incolis purpurati fuerunt Ioannes Kostka Palatinus Sendomirienſis, & Stanislaus Comes de Gorka Palatinus Posnanienſis. Post fata Stephani Bathori Constantinus Dux de Ostrog Palatinus Kiovienſis, & filius ipsius natu maior Ioannes Dux de Ostrog Palatinus Volhyniae, Simon & Alexander fratres Duces in Słucko Radziwiłii Duces in Olyka, Albertus Laski Palatinus Siradiae, Zagurski Palatinus Posnanienſis, Tencinius Palatinus Cracovienſis, Firleius Castellanus Biecenſis, Andreas Zborowski Mareschalcus Regni, & Ioannes Zamoiscius Cancellarius & exercituum Dux Generalis. Quod praeter incolas exteri in Reges Poloniae eligi possint, nemo ambigit. Sic in fine seculi XIV. mortuo Ludo-

vico

vico Poloniae Rege Competitores Regni fuerunt Sigismundus & Wilhelmus Archiduces Austriae, & Iagello Magnus Dux Lithvaniae. Post obitum Sigismundi Augusti A. 1571. Candidati erant ex exteris Ernestus Archidux Austriae, Henricus Dux Andegavensium, Rex Sveciae Dux Moschorum & Tartarorum Princeps. Vid. IOAN. DEMETR. SOLIKOVII *Commentar. rer. polon a morte Sigism. Augusti gestar.* Ab excessu Henrici I. Candidati erant Maximilianus Imperator Romanus, Stephanus Bathori de Somlio, & Alphonsus Dux Ferrariae. Post fata Stephani Regis erant Maximilianus Archidux Austriae Rudolphi Imperatoris frater, Sigismundus Ioannis Regis Sveciae filius, Alexander Parmae & Placentiae Dux, & Theodorus Odomovicius Moschorum Dux. Post mortem Ioannis III. inter exteros Candidati fuerunt Elector Saxoniae, Dux Lothringiae, Marchio Badensis, Princeps de Conti, Princeps Neoburgicus, & Elector Bavariae. Vid. *Denotatio electionis novi Regis d. 27. Iunii A.* 1697.

§. XXIV. Renuntiato iam Rege, diploma electionis componitur subscribiturque a Senatu & Deputatis Palatinatuum, cum longum sit tot electorum nomina annotare, illudque Regi recens electo traditur, qui omnia iura privilegia & immunitates per pacta conventa stabilita

bilita iureiurando appprobare tenetur; Si vero Rex electus absens sit tum ad locum electionis Legati Regis electi accersuntur, ut iuramento conditiones electo Regi propositas confirment. Ex officio quoque Mareschalci denuo idem Rex proclamatur. Sigismundo e Svecia venienti obviam missi sunt Gedanum Oratores, qui in Monasterio Olivensi Decretum electionis Regi tradiderunt, & ab eo iuramentum receperunt. Vid. IACOBVS AVGVST. THVANVS *lib. 88. histor sui tempor.* Si vero Rex electus praesens est, deducitur post electionem in Templum, ubi se Regno iuramento obstringit. Ita Michael & Ioannes III. Reges aliquot post nominationem elapsis diebus in Templo D. Ioannis ad altare maius iuramentum praestiterunt, & ab Ordinibus Regni Magnique Ducatus Lithvaniae diploma electionis consignatum receperunt. Solet tum Primas Regni nomine Senatus, & Mareschalcus Equestris Ordinis nomine Nobilitatis novam dignitatem Regi recens electo gratulari, quibus Regis nomine respondetur Invisit etiam Rex electus, aut eius Legatus, Nobilitatem in campo, eique pro electione gratias agit. Confer. CASIM. ZAWADZKI *in gloria orbi Sarmatico consensu monstrata.* Id etiam notes, quod novo Regi caduceus seu scipiones non sublevatos sed

ſubmiſſos Mareſchalci praeferant, literae etiam ab eodem ſub titulo electi Regis extradi, & ſigillo Cancellariae ſuae muniri ſoleant. Adveniens autem externus Princeps in Regem electus, ſolemni [ut Sereniſſimus noſter Auguſtus Cracoviae d. 12. Sept. A. 1697] excipitur pompa: poſtea convocato cum Ordinibus Senatui gratias agit, ſpondens, iura & privilegia ſe confirmaturum. Ipſi vero Ordines indicunt coronationem per peculiare edictum illius loci, unde illud mittitur. Inſuper Mareſchalcus Ordinis Equeſtris valedicit Senatui & Nobilitati, ultimoque ſuffragio Regem confirmat, votum addens, ut vivat, regnet, perennet.

§. XXV. Formula iurisiurandi, quo Rex recens electus pacta conventa confirmat, talis eſt: "Ego N. N. electus Polo-"niae Rex, & Magnus Dux Lithvaniae, Ruſſiae, "Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniae, Smo-"lenſciae, Kyoviae, Vothyniae, Podoliae, Podla-"chiae, Severiae, Czerniechoviaeque, ſpondeo "& ſancte iuro DEO Omnipotenti ad haec ſan-"cta IEſu Chriſti Evangelia, quod pacta con-"venta per Ordines Regni mihi data, in omni-"bus eorum articulis, punctis, clauſulis, con-"ditionibus, ita ut nec ſpecialitas generalitati, "nec generalitas ſpecialitati deroget, ſervabo, manuteo

manutenebo & adimplebo, atque ea omnia i-" terato etiam in solenni coronatione iuramento" confirmabo, sic me Deus adiuvet & haec sanc-" ta Iesu Christi Evangelia. "

§. XXVI Ante ipsam vero coronationem duo in primis sunt, quae peragi solent. Primum est, quando Rex Templum S. Stanislai Cracoviae in rupella pedes invisit, ibidemque caput eius deosculatur auro inclutum atque devotis precibus expiat scelus homicidii, quod Boleslaus Audax Poloniae Rex A. 1079. in Stanislao Szczepanovio patrarat. Eo in loco Vladislaus IV. Sanctam Eucharistiam e manibus Archi-Episcopi sumsit: Michael Rex sumto iam prandio ingressus est hoc Templum inter crebras tormentorum explosiones. Secundum est, quod peragi solet, qvando ante Coronationem Regis defuncti exequiae celebrantur, attamen & post Coronationem corpora Regum mortuorum sepulchris inferri, constat ex superiore §. 10. Ritus praecipui in actu Regum sepulturae tam solenni describuntur a FREDRONE *in Histor. Henrici I. ad A.* 1574. " Infulati, scribit, Episcopale munus circa feretrum obeunt, praecedunt Provinciarum " Legati sive Nuntii Terrestres, item Equestres signiferi, vexilla Provinciarum & stemmata praeferentes; tum portatur Corona, Scep-"

"ptrum, pomum aureum, gladius, Regum de-
"cora omnia ad humum versa. Ad sepulcrum
"vero Officiales sua frangunt insignia, Mare-
"schalci baculos suos, Cancellarii sigilla, & Ar-
"migeri hastas." His peractis, Coronatio electi Regis sequenti vel alio die suscipitur.

§. XXVII. Quodsi iam deventum est ad ipsam Coronationem, omnino illa solenni pompa & splendido apparatu peragi solet. Actum Coronationis Henrici I. ita describit ALEXANDER GVAGNINVS *in Sarmatia Europaea*, Michaelis vero I. NICOLAVS CHWAŁKOWSKI *in iur publ. lib.* 1. *cap.* 3. Ipso scilicet Coronationis die totus, in primis Episcopatus Cracovienſis Clerus, stolis, mitris, infulis, superciliis, quam splendidissime amictus, e Basilica Cracovienſi in Palatium Regium procedit, Schola item & musico concentu eum comitante, Senatores quoque & Equestris Ordo adsunt congregati. Soli Episcopi cum Archiepiscopo ad deducendum Principem in Ecclesiam Cathedralem, qui antea vel per supremum Regni Mareschalcum vel per Magistrum Ceremoniarum inducitur, Palatium Regium ascendunt, atque sandaliis, tunica, chirothecis, alba Dalmatica & pallio ornatum, & inter Legatos Imperatoris Pontificisque Romani, vel alios primores, stantem, aqua benedicta Archiepisco-

episcopus aspergit, orationem certam recitans. Hinc in Ecclesiam per Cracovienſem & Cuiavienſem (noſter Auguſtus II, per Cuiavienſem & Poſnanienſem) Epiſcopos deducitur, praeferentibus Caſtellano Cracovienſi Coronam Palatino Cracovienſi Sceptrum, Vilnenſi Palatino Pomum aureum, & vel Enſifero Regni vel Praefecto Stabuli Gladium evaginatum. Qvos excipiunt Epiſcopi cum Archiepiſcopo, Abbates Infulati, Senatores Regni, exterorum Principum Legati, cruce praecedente. Inſignia, de quibus modo dictum, regalia, in altari deponuntur. Rex in ſolio ſiſtitur, ante quem Epiſcopus aliquis certam orationem pronunciat, Regemque de fide, pietate in Deum, aliisque virtutibus regiis admonens, dicta oratione, interrogat illum: vis fidem Sanctam a Catholicis viris traditam tenere, & operibus iuſtis ſervire? reſpondet, volo. Pergit porro ſum̃us Praeſul: vis Eccleſiis Eccleſiarumque Miniſtris tutor ac defenſor eſſe? reſpondet, volo. Deniq; ex Rege qvaerit: vis Regnum a Deo tibi commiſſum ſecundum iuſtitiam Patrum tenere, regere & defendere? reſpondet, volo. Finita interrogatione, Rex coram Archiepiſcopo genu flexus, capite adaperto iurat, pactaque conventa confirmat, tacto digitis Evangelio ſub finem iuramenti dicens: *ſic me Deus adiuvet,*

& haec Sancta Evangelia. Post haec Archiepiscopus Collectam Orationemque ex Pontificali Romano recitat, inde genua flectit Archiepiscopus, Rege in faciem provoluto, Litaniis item & Orationibus resonantibus. Postea Archiepiscopus sedet, Rex Dalmatica exutus ante eum genua flectit, qui intincto police dextro in oleo sancto, ungit illi dextram a palma ad cubitum & inter scapulas, & in brachio dextro, dicens: Vngo te in Regem oleo sanctificato, in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Postea precationes quasdam pronunciat, quibus peractis, Episcopus aliquis inunctas partes corporis regii, abstergit, certa verba recitans, & demum Regem Marescalci Regni & Magni Ducatus Lithvaniae Dalmatica aliisque pretiosissimis ornamentis amiciunt. His absolutis, Archiepiscopus abluit manus, depositaque Insula Confessionem dicit, Rex vero a Senatoribus & Officialibus in Solium in medio Templo exstructum deductus supplex vultum ad altare convertens Missam audit. Postea Coronator gladium porrigit Regi, quem aliquis ex Officialibus accingit eius lateri; diadema quoque Regi imponit, pomum aureum in sinistram, & sceptrum in dextram eidem inserens, ad singula certa verba pronuncians. Tum e solio Rex discessus, panem & vinum in altari offert, panemque

demque oſculans Sacroſanctum corpus accipit, gladiusque eidem diſcingitur. Abſoluto Sacro in medio Archiepiſcopi & Praeſulis Cracovienſis ad theatrum illud ſupra dictum ducitur, atque ab Archiepiſcopo gubernaculis Regni praeficitur: inde reverſus ad altare Archiepiſcopus, hymnum: Te DEum laudamus! exorditur, quo finito, ab altari recedit, & ad eius dextrum cornu conſidet, quo etiam Rex venit, aurumque Coronatori offerendo manum deoſculatur. Solet etiam ſumto in manus gladio aliquot tum Nobiles tum Conſulares viros, habita ceremoniae dignitate, ad Equeſtris Ordinis dignitatem provehere. Solennitatibusque iſtis abſolutis, Archiepiſcopus benedictionem omnibus impertit, & Mareſchalcus Curiae Regni alta voce exclamat: Vivat Rex! Poſtremo Supremus Regni Theſaurarius de throno regio nummos miſſiles erogat, atque ita Coronationis actui coronis imponitur.

§. XXVIII. Ne quid fiat ſine invocatione Numinis, a quo omne auxilium futuri regiminis & felicitatis expectandum, ſequens Oratio, poſt praeſtitum ab Rege iuramentum ab Archi-Epiſcopo ſolet dici: *Te invocamus Domine, Sancte Pater, Omnipotens ſempiterne DEus, ut hunc famulum tuum N. quem*

tuae divinae dispensationis providentia in primordio plasmatum usque ad hunc praesentem diem iuvenili flore laetantem crescere concessisti, eum tuae pietatis dono ditatum, plenumqv gratia & virtute de die in diem coram DEO & hominibus ad meliora semper proficere facias, ut summi regiminis solium gratia supernae largitionis gaudens suscipiat, & misericordiae tuae muro ab hostium adversitate undique munitus, plebem sibi commissam cum pace propinationis & virtute victoriae feliciter regere mereatur, per Christum Dominum nostrum, Amen. Denique omnes Episcopi cum Infulatis Abbatibus atque Clericis in genua procumbentes, sic orant: *DEVS, qui populis tuis virtute consulis, & amore dominaris, da famulo tuo N. sapientiae Spiritum, cum regimine disciplinae, ut tibi toto corde devotus, in Regni regimine maneat semper idoneus, tuoque munere ipsius temporibus securitas Ecclesiae dirigatur, & in tranquillitate devotio Christiana permaneat, ut in operibus suis bonis perseverans, ad aeternum regnum te duce pervenire valeat, per Christum Dominum nostrum*

ſtrum, Amen. Hac Oratione finita, iterum orant genua flectentes: *Benedic Domine hunc Regem N. qui regna omnia moderaris a Seculo, & tali cum benedictione glorifica, ut Davidicae teneat benedictionis & ſublimitatis ſceptrum, & glorificatus in eius protinus rapiatur merita. Da ei tuo ſpiramine cum manſvetudine ita regere populum tuum, ſicut fecisti Salamonem tuum continere regnum pacificum. Sit tibi ſemper cum timore ſubditus, tibiqve militet cum qviete, ſit tuo clypeo protectus cum Proceribus, & ubiqve tua gratia victor exiſtat: honorifica eum prae cunctis Regibus gentium ut feliciter populis tuis dominetur, & feliciter eum nationes adorent: vivat inter gentium, caterva magnificus, ſit in iudiciis aeqvitatis ſingularis, locupletet eum tua praedives dextra, frugiferam obtineat patriam & eius liberis tribuas profuturam: protela ei prolixitatem vitae, & in diebus eius oriatur iuſtitia, a te robuſtum obtineat regiminis ſolium, & cum iucunditate & iuſtitia aeterno glorietur in regno, per Chriſtum Dominum noſtrum Amen!* Cum inungitur Rex, ita orat Archi-

Episcopus: *Vngo te in Regem ex oleo sanctificato, Spiritus Sancti gratia humilitatis nostrae officio in te copiosa descendat, ut sicut manibus nostris indignis oleo materiali pingvescis exterius abutus, ita eius invisibili ungvimine delibutus, impiagvari merearis interius, eius qvoqve perfectissima Spirituali unctione semper imbutus, & illicita declinare tota mente valeas, & utilia animae tuae iugiter cogitare, optare atqve operari qveas, auxiliante Domino nostro Iesu Christo, qvi tecum vivit & regnat Deus, Dei Filius, Iesus Christus Dominus noster, qvia Pater oleo exultationis unctus est, prae participibus suis ipse per praesentem sanctae unctionis infusionem Spiritus Paracleti, super te benedictum infundat, eandemqve usque ad interiora cordis tui penetrare faciat, qvatenus hoc visibili & tractabili oleo dona invisibilia percipere, & temporali regno iustis moderationibus executo, aeternaliter corregnare ei merearis, qvi solus sine peccato Rex Regum vivit & gloriatur cum Deo Patre, in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia Secula Seculorum, Amen!* Cum Episcopus inuncta

corpo-

corporis Regii membra detergit, dicit: *Deus Rex Regum & Dominus Dominantium, per quem Reges regnant, & legum conditores iura decernunt, dignare propitius benedicere hoc regale ornamentum, & praesta, ut famulus tuus, Rex noster N. qui illud portaturus est, ornamento bonorum morum & sanctarum actionum in conspectu tuo fulgeat, & post temporalem vitam aeternam gloriam, quae temporis non habet finem, sine fine possideat, per Dominum nostrum Iesum Christum, Amen!* Cum induitur Rex pallio & Dalmatica hanc Orationem dicit: *Accipe pallium, quatuor initiis formatum, per quod intelligas quatuor mundi partes divinae potestati esse subiectas, nec quenquam posse feliciter regere in terris, nisi sibi regere potestas fuerit collata de coelis.* Cum gladius Regi porrigitur, sequens recitatur Oratio: *Accipe gladium desuper altari sumtum per nostras manus, licet indignas, vice tamen & auctoritate Sanctorum Apostolorum consecratum, regaliter tibi concessum, nostraeque benedictionis officio in defensionem Sanctae Dei Ecclesiae divinitus ordinatum, ad vindictam malefactorum,*

laudem

laudem vero bonorum. Et memor esto eius, de qvo Psalmista prophetavit, dicens: accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime: ut in hoc per eundem vim aeqvitatis exercceas, molemque iniquitatis potenter destruas, Sanctam Dei Ecclesiam eiusque fideles propugnes atque protegas, neque minus sub fide falsos, qvam Christiani nominis hostes execres atq; dispergas, viduos atq; pupillos clementer adiuves & defendas, desolata restaures, restaurata conserves, ulciscaris iniusta, confirmes bene disposita &c. Cum Regi gladium accingit Archi Episcopus, orat: *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, & attende, qvod Sancti non in gladio, sed per fidem vicerunt regna.* Cum diadema imponit, dicit: *Accipe coronam Regni, qvae licet ab indignis, Episcoporum tamen manibus, capiti tuo imponitur, in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, qvam Sanctitatis gloriam & honorem & opus fortitudinis intelligas significare, & per hanc te participem ministerii nostri non ignores, ita, ut sicut nos in interioribus Pastores Rectoresque animarum intelligimur, ita & tu con-*

tra

tra omnes adversitates Ecclesiae Christi defensor assistas, Regnique tibi a Deo dati etc. Denique cum pomum & sceptrum eidem porrigitur, orat: *Accipe virgam virtutis atque veritatis, qua intelligas te obnoxium mulieri pios, terrere reprobos, errantes viam docere, lapsis manum porrigere, disperdere superbos, & relevare humiles, & aperiat tibi ostium Iesus Christus Dominus noster, qvi de se ipso ait: ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, qui est clavis David & sceptrum domus Israel, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit, sitqve tibi auctor, qui eduxit vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris & umbra mortis, ut in omnibus eum seqvi merearis. &c.*

§ XXIX. Est quoque iuramentum, quod in Comitiis electionis a Mareschalco Equestris Ordinis praescribi solet Regi, id quod ipsi in actu coronationis est praestandum. Quod ita se habet: *Ego N. N. Electus Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae &c. per omnes Regni Ordines utriusque gentis, tam Poloniae quam Lithvaniae, caeterarumque Provinciarum Regno Poloniae &*

Magno

Magno Ducatui Lithvaniae annexarum & incorporatarum communi consensu libere electus, spondeo & sancte iuro Deo Omnipotenti ad haec Sancta Iesu Christi Evangelia, quod omnia iura, libertates, immunitates, privilegia publica & privata, iuri communi utriusque gentis & libertatibus non contraria, ecclesiasticas & seculares, Ecclesiis Catholicis Romanis, Principibus, Baronibus, Nobilibus, Civibus, Incolis, & quibuslibet personis cuiuscunque status & conditionis existentibus, per Divos Praedecessores meos, Reges & quoscunque Principes Regni Poloniae & Magni Ducatus Lithvaniae, praesertim vero Casimirum Antiqvum, Ludovicum Loiczappellatum, Vladislaum I. Iagellonidem dictum, fratresque eius Vitoldum Magnum Lithvaniae Ducem, Vladislaum II. Iagellonis filium, Casimirum III. Iagellonidem, Ioannem Albertum, Alexandrum, Sigismundum I. Sigismundum II Augustum, Henricum, Stephanum, Sigismundum III. Vladislaum IV. Ioannem Casimirum, & Michaelem Coributhum Reges Poloniae & Magnos Lithvaniae Duces, iuste & legitime datas & concess-

concessas, emanatas & donatas, ab omnibusque Ordinibus tempore Interregni statutas atque sancitas, mihi oblatas, tam pacta per Ordines Regni & Magni Ducatus Lithvaniae mihi tradita, manutenebo, observabo, custodiam & adimplebo, in omnibus conditionibus, articulis & punctis, in iisdem expressis. Pacem quoque & tranquillitatem inter Dissidentes de Religione Christiana tuebor, manutenebo, nec ullo modo vel iurisdictione nostra vel officiorum nostrorum & statuum quorumvis auctoritate quenquam affici opprimique causa Religionis permittam, nec ipse afficiam vel opprimam. Ac ea quae in electione nostra Varsaviensi constituta sunt, & quae in Conventione Coronationis nostrae constituentur, manutenebo, iisque satisfaciam, omniaque illicite a Regno & Magno Ducatu Lithvaniae & dominiis eorundem quocunque modo alienata, vel bello vel alio quovis modo distracta, ad proprietatem eiusdem Regni Poloniae et Mag Ducatus Lithvaniae aggregabo, terminosque Regni et Magni Ducatus Lithvaniae non minuam, sed defendam et dilatabo. Iustitiam omnibus Incolis Regni iuxta iura publica in omnibus dominiis constitutam

ſtitutam absque omnibus dilationibus & prorogationibus administrabo, qvovis etiam ſangvinis noſtri reſpectu nullo habito, in dispenſatione qvoque diſtributivae iuſtitiae non me alligabo ad affectum & propenſionem naturalem ſangvinis, ſed ſolam ipſam bene meritorum rationem prae oculis & corde habebo, in disponendis occurrentibus officiis & beneficiis Reipublicae. Et ſi (quod abſit) in aliquibus iuramentum meum violavero, nullam mihi Incolae Regni omniumque dominiorum uniuscuiusque gentis obedientiam praeſtare debebunt, imo ipſo facto eos ab omni fide, obedientia Regi debita, liberos facio, abſolutionemque nullam ab hoc iuramento meo a qvoquam petam, neque ultro oblatam ſuſcipiam. Sic me Deus adiuvet, & haec ſancta Chriſti Evangelia.

§. XXX. Coronatione ſolenniter peracta, Rex coronatus inter tormentorum tonitrua ad Palatium deducitur, aliaque laetitiae ſigna eduntur: poſtea convivium regale habetur, cui interſunt Legati exterorum Principum, Senatores Regni & alii e Nobilitate Proceres, illuſtresque foeminae. In Coronatione

Michaelis

Michaelis Regis, ipso festo Michaelis d. 29. Sept. A 1669. peracta, promiscuo vulgo in regio isto Palatio tres integri ferarum & alitum variorum generum farti & assati boves, cum aliquot cereviside. d lis in praedam cessere, ut refert NICOL. CHWAŁKOWSKI *in Iur Publ Regn Polon. lib. 1. cap. 3. §. 11.* Trahitur illud convivium ad seram usque vesperam, & tandem artificiosi ignes spectantur. Sequenti die Rex equo vectus, comitantibus eum Senatoribus, Regnique insignia praeferentibus, atque Thesaurario nummos missiles in populum spargente, in forum Civitatis Cracovienſis descendit, & in Curia regio indutus ornatu, pedes ad solium pulcherrime extructum pergit, quem Senatores sedentem paullo inferiores ordine circumsident; ubi Magistratus Cracovienſis subiectionem suam testaturus, in argentea patina claves portarum omnium deauratas Regi tradit, cui Cancellarius nomine Regis respondet, gratiam eius eidem declarando. Postea idem Cancellarius formam iuramenti Magistratui praelegit, quod in genua procumbens, erectis in coelum digitis praestat, Regi deinde donum aliquod offert, clavesque suas recipit. Rex deinde nudatum vagina ensem ab Ensifero Regni versus quatuor mundi partes vibrat, atque eius contactu Equites ali-

quot auratos creat. Inde his rite peractis Thesaurarius ex theatro nummos aureos argenteosque in plebem spargit, denique in arcem cum eadem pompa redire, festisque epulis indulgere solent. Post solennia Coronationis accingit se statim Rex ad Comitia, quae nuper duabus hebdomadis absoluta, officiaque maiorum dignitatum in iis distributa, ubi Privilegium electionis in Comitiis conscriptum Constitutioni inseritur. Archiepiscopus vicariatum deponit, [nuper tamen id factum non est) Senatores Regni fidelitatem iuramento promittunt, item Nuntii Terrestres post novum electum Marescalcum nomine totius Nobilitatis, Civitatum quoque Deputati subiectionem & fidelitatem suam iureiurando Regi pollicentur: ad Civitates autem Prussiae Sereniſſimus pro recipiendo homagio Commissarios mittit. Tunc etiam Rex Coronationem suam per literas universales omnibus denuntiat, & iudicia omnia celebranda esse declarat: dat praeterea literas iuramenti a se praestiti, & aliud diploma, quo omnia iura & privilegia confirmantur, sicque demum tempus Interregni cessat.

CAP. II.

CAP. II.

De Interregnis in Regno Poloniae, eorumque numero.

§. 1. *De numero Interregnorum in Polonia iuxta Hartkn. a quo abit auctor.*

§. 2. *De primo Interregno, & iis, quae in illo evenerunt post fata Craci I.*

§. 3. *De secundo, Venda fatis erepta.*

§. 4. *De tertio, post excessum Praemislai.*

§. 5. *De quarto, post mortem Popieli II. a muribus devorati.*

§. 6. *De qvinto post Micieslaum II.*

§. 7. *De sexto, post Praemislaum occisum.*

§. 8. *De septimo, post Casimirum Magnum.*

§. 9 *De octavo, post Ludovicum Vngariae & Poloniae Regem.*

§. 10. *De nono, post Sigismundi Augusti mortem.*

§. 11. *De decimo, post discessum Henrici Valesii.*

§. 12. *De undecimo, post Stephani mortem.*

§. 13. *De duodecimo, post fata Sigismundi III.*

§. 14.

§. 14. *De decimo tertio, post Vladislai IV. mortem a.* 1648.

§. 15. *De decimo quarto, post abdicationem regni Io. Casimiri a.* 1668.

§. 16. *De decimo quinto, post Michaelis Koributhi fata.*

§. 17. *De decimo sexto, post mortem Ioannis III. & de electione Friderici Augusti Septemviri Saxoniae.*

§. 18. *Quid post coronationem novi Regis fieri soleat & cur hocce interregnum longius duraverit?*

§. 19. *De Iuramento Regis Augusti & quo modo Pacta Conventa confirmavit.*

§. 20. *De iis, quae post fata Augusti II. atq; in Interregno XVIIImo evenerunt, supplementi loco adiectis.*

§. I.

IAm ad ipsa Interregna, quae & quot in regno Poloniae fuerunt, deveniendum. ALEXANDER GVAGNINVS *in Sarmatia Europaea fol.* 45. a Lecho I. ab Anno Domini 550. usque ad Annum 1572. quo Sigismundus Augustus

ſtus naturae debitum exſolvit, numeravit novem Interregna. Primum Interregnum poſt Lechi deficientem progeniem extitit, cui poſtea ſecundum quosdam Vilimirius, Viſimirio autem Cracus ſucceſſit. Secundum fuit poſt Vandam Craci filiam, quae Diis virginitatem devovens, victo tribus cruentis proeliis Ruttigero Duce Germanorum, in Viſtulam ſeſe praecipitavit, poſtquam duodecim Palatinis Provinciae diſtributae regundae commiſſae eſſent. Tertium erat, cum, Praemislao ſine prole decedente, equorum curſu de Principatu certarent & Leſconi infimae familiae iuveni ſceptrum obveniret. Quartum contigit poſt Popielum II, Cruſviciae a muribus devoratum, qvando Piaſtus, Civis & agricola Cruſvicienſis ſimplex & probitate pollens, communi omnium conſenſu Monarcha deſignatus eſt. Qvintum erat poſt Miecislaum ſeu Mieſconem II. quando Rixa uxor & Regina Imperium aliquot annis cum detrimento Regni adminiſtravit, in Saxoniam deinde & Auſtriam profuga, poſt in Regnum rediit, Caſimirusque rerum potitus eſt. Sextum extitit poſt Praemislaum occiſum ab Ottone Lango & Marchionibus Brandenburgenſibus, quando Venceslaum Bohemiae Regem Poloni ad ſceptra regenda vocarunt. Septimum fuit poſt Caſimirum Magnum, Vladislai

Loctici filium, quando Ludovico Hungariae Regi habenas Regni Sarmatiae obtulerunt Octavum fuit post Ludovicum Hungariae & Poloniae Regem, qvando Iagellonem Magnum Ducem Lithvaniae Poloni ad fasces Regni capessendos elegerunt: eius posteritas usque ad Sigismundum Augustum duravit. Nonum post fata Sigismundi Augusti, quando Henricus Andegaviensium & Borboniorum Dux in Regem Poloniae erat electus. B. HARTKNOCH *in Republ. Polon. lib.* 1. *cap.* 2. §. 15. duodecim Interegna maiora in Regno Poloniae recensuit: sextum vero quod fuit GVAGNINO, penitus omisit. Post excessum Henrici in Galliam Interregnum publicatum B. HARTKNOCHIO nonum numeratur, in quo alii Maximilianum Imperatorem Romano-Germanicum, alii Stephanum Transylvaniae Palatinum commendabant, huic tamen sceptrum Poloniae fuit traditum. Decimum fuit post eiusdem Stephani mortem, ubi alii Maximiliano Austriae Archiduci, alii Sigismundo Sveciae Principi fasces deferebant, huic tamen prae illo diadema fuit impositum. Vndecimum erat post abdicationem Ioannis Casimiri, ubi Michael Coributhus, Dux Wisniovecius, Rex electus est. Duodecimum erat post fata Michaelis, in quo fasces Polonici Sereniſſimo Ioanni III, pie mortuo

sunt

sunt traditi. Decimum tertium denique post mortem Ioannis III. extitit, quando summa rerum ad Fridericum Augustum Electorem Saxoniae transiit. (*

§. II. De primo Interregno sequentia veniunt annotanda. Qvamdiu Lechus, primus Poloniae Princeps, regnaverit, quid praeclari bello paceque gesserit, quosve liberos post se reliquerit, in incerto habetur. VINCENTIVS KADLVBKO, qui vixit seculo XII. post C. N. Principem hunc longe ante Alexandri Magni tempora vixisse tradit. BERNARDVS VAPOVIVS, Regis Sigismundi Secretarius, Cantor & Canonicus Cracoviensis, *in Chronico suo* inter alia scribit, centum quinquaginta ferme annis posteritatem Lechi in Polonia regnasse: Cum autem stirps Lechi defecisset, ab unius imperio ad paucorum dominatum traductam fuisse Rempublicam, nam duodecim Palatini seu Woiewodae, id est, Duces belli, ex omni Procerum numero viri spectati eligebantur in Principes, ut suae qvisqve regioni praeesset, legesqve non in libris neqve tabulis, ut rude illud ferebat seculum, sed in animis incolarum atqve usu inciderent. Non diu post Poloni duodecim Woiewodarum imperio pertaesi, iterum ad unum aliqvem gubernaculis Reipublicae praeficiendum Gnesnam convenerunt, ibiqve insig-

nem virum, iuſtitiaeque & integritatis fama clarum, Principem crearunt nomine Cracum, circa A. C. 700 Quamdiu vero Palatinorum duraverit imperium, quae ipſorum nomina & res geſtae fuerint in obſcuro eſt, Recte IOANNES DLVGOSVS Canonicus Cracovienſis & denominatus Archiepiſcopus Leopolienſis, *Tom. 1. Annal. in epiſt. dedicat. ad Zbigneum Oleſnicium Epiſcopum Cracovienſem*, ſcripſit. "Pauciſſimi Principes & Reges, ceteriique "Polonorum Heroes ſuorum facinorum meru-"erunt ſcriptores, nonnullorum vero fama ſe-"pulta & extincta cum ipſis eſt." Abrogato duodecim Palatinorum imperio, poſt longam in Conventu conſultationem, unanimi omnium ſententia ad Cracum, natione Polonum, (GVAGNINVS Cracum Czechi Bohemiae Regis nepotem fuiſſe autumat) & in domicilio tredecim milliaribus a fontibus Viſtulae diſtante habitantem, Principatus deferebatur, quem invitus ille ſuſcepit; Vir cum amicitiis, copiis & facultatibus potens, tum prudentia, animi magnitudine, atque iuſtitiae & integritatis opinione apud omnes ita gratioſus, ut ſolus dilabantem Rempublicam ſuſtinere poſſe videretur. In regimine hoſtes patriae alios foederibus ſibi adiunxit, alios armis ſubegit, domi licentiam & petulantiam compeſcuit, urbem Cracoviam

coviam Regni caput, relicta Gnesna, condidit, arcem colli Vavelo imposuit, iudicesque privatarum controversiarum per loca constituit: in huius scopuli seu collis antro, qvod hodienum visitur, draconem holophagum, immane monstrum, habitasse Scriptores Polonici tradunt, qui viciniam omnem devorandis pecudibus iumentis & hominibus vastaverat, quem Cracus obiecta corporum pice ac sulphure effertorum esca confecit GVAGNINVS *in Sarmatia Europaea* refert, quod Cracus pellem vituli excoriati sulphure, nitro & pice impleri, & ad antrum draconis obiici iusserit, quam escam dum deglutiisset draco, ignis conceptus belluae viscera torruerit, quae deinde in Vistula tam diu aquam sorpserat, quousque media rumperetur. Moriens Cracus in Lassitino monte ultra Vistulam e conspectu Civitatis sito sepeliri voluit. Vid. MARTIN. CROMERVS *lib. 1. & 2. de O. & R. G. P.* & SALOM. NEVGEBAVER *lib. 2. Hist. Polon.*

§. III. Iustis Craco gentili ritu persolutis, Poloni Cracum II. elegerunt, & in paternum solium evexerunt, quem Lechus ambitione dominandi turgens, per speciem venationis in sylvam eductum interemit & simulato luctu honorifice sepelivit, Principatu sibi scelerate rapto. VINCENTIVS KADLVBKO

vivente adhuc patre fratricidium ab eo patratum, sed mortuo demum patre, & iam Lecho II. regnante, scelus patefactum esse memorat. Postquam Lechi facinus innotuit, missus in exilium est fratricida, & vita infeliciter defunctus. Mortuo utroque fratre, tam gratam sui memoriam Cracus Princeps apud Polonos reliquerat, ut Venda eius unica filia unanimi populi consensu ad imperii fastigium evocata sit. Erat illa formosissima & pulcherrima omnino virgo, ut pulchritudine sua plurimos Principes ad se alliceret, & veluti hamo pisces caperet, unde Vanda & Venda (quae dicto Sclavis hamum significat) appellata est. Fuit ea tempestate Rittigerus, (GVAGNINO Rithagoras, & IOANNI MICRAELIO *lib. 2. Chron. Pomer.* §. 22. Rudigerus Rugianorum Princeps dictus) illustris & potens Teutonum Heros, qui pulchritudine atque prudentia virginis commotus, illam per Paranymphos & Oratores suos coniugem sibi petivit; verum illa alicui se nupturam negans, respondit, Principem, quam Principis uxorem, se malle: quamobrem Rittigerus putans, se ab ea contemni, bellum Poloniae indixit terroreque & vi ad coniugium eam cogi posse sperabat; illa e contra cum expeditis suorum copiis adventanti hosti ad fines Sarmatici Regni occurrit, eumque cruentis cladibus

dibus fudit. Ipse autem fuga elapsus, prae pudore, quod virginis manu fusus fugatusque fuerit, mortem sibi conscivit. Vanda triumphans Cracoviam ingressa, nec contenta victimas alias obtulisse, seipsam Diis suis devotam in Vistulam praecipitavit. Inventum postea ipsius cadaver supra amnem Dlubniam, aggesto ibidem tumulo unde subiacenti pago Mogale nomen, gentili ritu sepultum est. Cum nemo Regiae stirpis, Venda fatis erepta, superesset, commutata rursus est Reipublicae forma, atque a duodecim Palatinis iterum Poloniae Regnum aliquamdiu administratum esse fertur. Vid. CROMERVS & NEVGEBAVER ll. cc. ALEXANDER GVAGNINVS *in Sarmatia Europaea in vita Vendae.* MARTINVS BIELSKI *in Chron. Polon. fol.* 33. polonicis typis edito.

§. IV. Pulsis eiectisque duodecim Palatinis, postquam Poloni a Pannonibus & Moravis aliquoties profligati, animum a defensione finium suorum desponderent, homo quidam Praemislus (aliis Praemislaus) plebeius & aurifaber, astu hostes circumvenit: galeas enim & clypeos e tenuioribus arborum corticibus magno numero fabricari curavit, eaque partim felle, partim lithargyro extrinsecus illita in truncis arborum & in ramis terrae infixis ita

appen-

appendit, ut ad orientem solem obversa armati exercitus speciem eminus inspectantibus exhiberent; quod agmen conspicati hostes, praecipitato atque tumultuario exercitu in Polonos fictitios irruerunt, qui securos & crapula sopitos adorti debellarunt, omnibusque spoliis exuerunt. Hoc facinore divulgato, omnium consentientium votis Princeps eligitur ac proclamatur aurifex, Lesci vel Lesconis nomine, a gratia vel ab astu desumpto, insignitus, (VINCENTIVS KADLVBKO Lescium appellat) tranquillo & moderato imperio Rempublicam administravit, & hostibus tota vita terrori fuit. Quamdiu regnaverit, quave morte sublatus sit, non constat: nulla saltem prole relicta e vivis excessit. Lescone absque posteris mortuo, de electione novi Monarchae vota & sententiae Senatorum discrepabant; post multas tandem altercationes hic modus eligendi Principem constitutus est. Ante Cracoviam columnam statuerunt, diademate & sceptro regali supra eam posito, ac palam omnibus voce praeconis significatum, ut quicunque a flumine Pradnik equi sui maculosi celeriori cursu ad columnam erectam caeteros anteverteret, Monarcha designaretur. Quidam igitur iuvenis obscurae & infimae familiae, sed astutus & callidus, re diligenter examinata, claves ferre-

os in

os in ſtadio, quo currendum erat, occulte infixit, terraque occuluit, via ad curr ndum ſibi deſignata, & ungulis equi ſui ter eis ſoleis communitis. Inter currendum equi ali rum in ſtadio impingunt haerentque, ſolus iſte doli auctor primus ad columnam pervenit, victor ſtatim & Princeps a circumfuſa ſpectantium multitudine proclamatur; poſtea cum in eodem ſtadio duo iuvenes certamen prius pedeſtri curſu imitarentur, ſimili modo in ferreos aculeos impegere, alter tamen columnam prior attigit, brabeumque conſtitutum poſtulavit, alter vero de fraude conquerens, praemium victori diſceptando denegabat Res haec ad Magiſtratum delata eſt, & fraudulenta machinatione Leſci, quod in certo ſtadii ſpatio a ferramentis vacuo decurrerit, detecta, illico in medium adducitur, fraudis convincitur, Principis dignitate privatur, & quadrigis alligatus diſcerpitur: quo diſcerpto, eum iuvenem, qui primus metam pedes attigerat, populus omnis ſalutat Principem, nomen idem Leſci eidem imponens. Fuit hic in hoſpites munificus, in ſuos liberalis, adeuntibus facilis comis, & vindex iniuriis preſſorum acerrimus: in victu cultuque corporis ſingularis erat parſimoniae, rudibus & craſſis pannis aulicorum loco utens, quin craſſos illos pannos, quibus ante adeptum

Prin-

Principatum induebatur, ob oculos poni sibi iubebat, ut seipsum pristinae fortunae suae admoneret; ab ebrietate vero ita abhorrebat, ut pecudi quam homini similiorem esse ebrium hominem iudicaret. Vid. CROMERVS, NEVGEBAVER, BIELSKI ll. cc. Patri successit Lescus III. aliis IV. Eum sequutus Popielus I. quem excepit Popielus II. a muribus consumtus.

§. V. Popielo a muribus consumto, novam familiam in Polonia condidit Piastus Cossiconis filius, quem GEORGIVS HORNIVS *in Orbe Imperante p.* 259. rusticum vocat, & ab hoc certior Poloniae historia incipit. Erat tum temporis Cruswiciae Piastus, quem diximus, vir simplex, virtute tamen & pietate praestans; huic eodem tempore, cum magna Procerum multitudo Cruswiciam ad creandum novum Principem convenerat, [NEVGEBAVER scribit, vivente adhuc Popielo id factum fuisse] Filius e Repicha uxore natus est, cui ad nomen gentili ritu imponendum, & primam comam tondendam, mellis mulsati duo dolia praeparavit, porcumque propter convivas tractandos macdavit. Interim ad eum duo viri ignoti peregrino habitu [quos Paulum & Ioannem, alii angelos Dei fuisse ferunt] venisse dicuntur, & a Piasto, cum Regia excluderentur, huma-

humaniter hoſpitio excepti, infantem natum ſubraſerunt, & Semovitum cognominarunt. Ibi res mira & ſtupenda accidit, ut refert SALOM. NEVGEBAVER *lib. 3. Hiſtor. Polon. p.* 48. 49. accrevit caro porcina, redundavit ex vaſis mulſum, ita ut non cives modo, verũ etiam Principem ipſum cum omni comitatu convivio exceperit. Eiſdem hoſpitibus ſub tempus Comitiorum reverſis, Piaſtus ex tenui penu cellaque ſua Conventum illum omnem penuria laborantem, augeſcente carnis ſuillae mulſique copia, refecit. Quo miraculo animadverſo vulgatoque, una voce omnes Piaſtum, non humanis ſuffragiis, ſed divino iudicio, Principem ſibi darî conclamabant: fit in domum eius concurſus obſecrantium, ut Reipublicae labanti ſuccurrat; recuſat ille, tandem precibus victus, ita ut erat veſte & peronibus ex tiliae cortice textis indutus, in Regiam a Primoribus deducitur, Principatumque viginti annis gubernavit, abominans Cruſviciam, nefario ſcelere diroque Popieli interitu contaminatam, Gneſnam domicilium ſuum tranſtulit, cumque ſapienter clementerque regnaſſet, ſenex admodum, annum agens centeſimum vigeſimum, mortuus eſt. Ab hoc duces vel Reges Polonorum uſque ad Caſimirum & Ludovicum Hungarum deſcendunt, item Duces Lignicenſes & Bregenſes in Sileſia generis ſui primordia ad eum referebant. Vi-

timus familiae huius Piasteae arboris verticem decerpsit Georgius Wilhelmus An. 1674. Vid. *Auctores supra citati*, & IOACHIMVS PASTORIVS ab HIRTENBERG *in Flor. Polon. lib. 1. cap* 11.

§ VI. Post mortem Miecieslai II. (cuius parenti Boleslao Chrobri Otto III. Ruffus Imperator Romanus Diadema Imperiale suum impossuerat, visitans sepulchrum Adalberti Gnesnae, avus vero eius Miecislaus I primus Christianus in Polonia Rex erat) non poterant Poloni de uno Monarcha eligendo convenire inter se, cum Casimirus propter aetatem adhuc teneram ad Regni gubernacula inidoneus iudicaretur, quare penes Rixam eius matrem, regia potestas, donec adolevisset filius, relinquebatur; sed ea, ut erat avara, exactionibus gravissimis premebat tam suos quam Ecclesiasticorum & Nobilium subditos, postpositisque Polonis, Germanos suos ad dignitates & Magistratus evehebat. Quod cum aegerrime ferrent Poloni, saepius ab ipsis monita est, sua ut mutaret consilia, quandoquidem tolerare vix possent, quod in Regno patrio antecessorumque suorum victricibus armis dilatato, exteri & peregrini praeferrentur indigenis; quod Germani, ut hostes Poloniae, ab ipsa ad consilia vocarentur, cum multo saniora a Polonis suis

expectare

expectare posset; quod alienigenis supremi honores conserventur; quod Polonos, non ut filios, sed privignos, contra morem & consvetudinem Regum priorum haberet: quodsi tandem e Regno abire vellet, nollent eam detinere. Rixa videns Polonos ad seditionem declinare, compilato Fisco Regio, & utraque tam Regis quam Reginae corona secum ablata, ad Conradum II. Caesarem Romanum clam aufugit, eique thesaurum ingentem cum utraque corona donavit, conquerens de Polonis, quod eam Regno movissent, petebat, ut in tutela ac cura ipsius esset. Caesar, ut IOANNES DLVGOSSVS tradit, acceptis nummis, emit eidem Salfeldam Brunsvicum & Magdeburgum. Casimirus vero ad Regem Hungariae Stephanum & post huius mortem, ad matrem Salfeldae commorantem, se recepit: hinc missus a matre in Galliam, inde in Italiam, vigesimum agens annum, qui visa ob ter Italia, in Galliam rediit, & Cluniaci in Benedictinorum Monachorum sodalitatem sub Romualdo Abbate se dedit, Monasticam vitam professus. Interea Poloni internis & externis furoribus exagitabantur, omnia caedibus mutuis miscebantur, latrociniisque infesta erant omnia. Russi, Masovii, Bohemi, Germani, & Pomerani validis exercitibus Poloniam invaserunt, omnia

ferro & flamma quam longissime depopulantes, Silesiam omnem, & quaecunque cuique genti erant viciniora, Regno Poloniae detraxerunt. Turbulentum & exulceratum Poloniae tum temporis statum describit SALOM. NEVGEBAVER *lib. 3. Histor. Polon. pag.* 57. his verbis: "Discessu Reginae & Regii filii, quasi "lymphatico furore Polonia cuncta exagitatur: miscentur omnia caedibus mutuis: latrociniis viae publicae infestantur: incenduntur pagi atque oppida: tumultuatur: "collatisque signis inter Cives & Proceres con"curritur, & ut quisque audacissimus est, ita "maximam perditorum hominum manum cogit: "aliena invadit: veteres possessores possessionibus deturbat: trucidantur passim divites & "locupletes patresfamilias: liberi eorum eliduntur: caesorum coniugibus atque bonis "interfectores per vim potiuntur: stuprantur "honestae virgines ac matresfamilias. In tanta "vastitate & confusione agrestes quoque a laboribus & agricultura feriati, in Patronos ac "Dominos suos insurgunt: in Nobilitatis exci"dium conspirant: veteres nonnullorum iniu"rias & oppressiones, concepto in illos odio, "omni crudelitate summaque acerbitate ulci"scuntur: neque sacrorum Ministris, ac ne "ipsis quidem Templis, aris ac sacris parcitur, "& in pristinam barbariem atque impietatem

Polo-

Polonia, abiecto vero Dei cultu, relapsura esse“ videbatur. In latebras se abdebant Proceres“ & Episcopi, eratque miserabilis undique re “ rum facies: nihil usque tutum: nihil cuius “ quam proprium: nemo mali exsors erat.“ Haec ille. His tam saevis tempestatibus toto pene sexennio vexati & fatigati Poloni, ad saniora tandem consilia animum adiecerunt. Comitia Posnaniae & Gnesnae instituentes: ubi quidem inter omnes convenit, Rempublicam, nisi ad unum rursus deferatur Principatus, salvam esse non posse; sed in electione novi Regis non una omnium erat sententia, alii eligebant Iaroslaum Russiae Ducem; alii eius electioni contradicebant, quod Graecam profiteretur Religionem; alii eligebant Maslaum Masoviae Ducem; alii ut superbum & tyrannum non admittebant; alii eligebant Praedislaum Bohemiae Principem; alii ut spurium reiiciebant, quod erat natus ex ancilla Bozena Oldrici concubina; alii indigenam & Piastum eligendum esse clamabant; alii reclamabant, quod talis pristinae sortis suae oblitus, suam tantum, non communem Regni salutem, curaturus esset. Post varias tandem consultationes Casimirum quaerendum & revocandum decreverunt, quia prudentem & literis excultum esse censebant, qui Lutetiae Parisiorum antehac studiis operam navaverat Missi igitur duo Legati e Gnesnensibus Comitiis, al-

ter ecclesiastici, alter politici status, ad Rixam matrem Salfeldam in Saxoniam, eamque donis variis mactantes, humillimis verbis ei exponebant, quo in statu essent res Poloniae, simulque miserabili & supplici oratione eam sollicitabant, ut filius ad Regnum paternum rediret gubernandum. Illa odii implacabilis mulier coepit aspernari preces, exprobrare electionem suam, insultare malis Polonorum, negare filium postulata esse facturum, utpote scelere ipsorum eo redactum, ut calamitatis taedio, exiliique pudore in Galliam secesserit, & Cluniaci Monasticae vitae se addixerit. Inde Cluniacum profecti, Casimirum (mutato nomine Carolum) iam religionem Monasticam ibidem professum & Diaconum factum invenere, ab eo, post expositum miserrimae patriae statum, petentes, ut labanti Regno manum admoveret, & avitum diadema susciperet, ab extremo interitu vindicandum; quae spes si ipsos falleret pereundum ipsis fore dictitabant. Casimirus collachrymans & patriae misertus respondit, exilium suum non Poloniae, sed arcano Dei iudicio, & antecessorum suorum alicui culpae imputandum, neque sibi iam licitum esse, datam semel Deo atque iis, quorum potestati se ultro subiecisset, fidem fallere. Legati omnia tentantes, Abbatem adibant, eumque muneribus

bus demulcentes, dimissionem Casimiri e Monasterio sollicite petebant, quae ad Pontificem Romanum ab ipso dilata est. Cluniaco Romam profecti, multis precibus a Benedicto IX. P. R. (MARTINVS BIELSKI *in Chronico suo* Clementem II. nominat) impetrarunt, ut Casimirus ad Regnum Maiorum suorum rediret, ac uxorem duceret: insuper pro expulsione Regis poenitentiam triplicem acceperunt Poloni, 1.] ut unaquaeque persona quotannis obulum unum Romano Pontifici solveret, 2.] ut singuli viri crines super aures tonderent, 3.) ut solennibus festis diebus linteo albo pro cingulo uterentur Voti sui compotes facti Oratores, Cluniacum cum dispensatione Pontificia reversi, Casimirum in Poloniam secum abduxerunt, primum ad Rixam matrem flexuoso itinere divertentes, quae non agnoscebat filium, nisi indicatis naturae signis: deinde invisserunt Henricum Conradi filium & in Imperio Romano Successorem, qui Coronas reddidit, sexcentorum equitum praesidium Casimiro deducendo addidit, atque Praedislaum Bohemiae Ducem ab inferendo Polonis bello cohibendum promisit. Cum Poloniae fines Casimirus attigisset, effusa obviam hominum omnis generis aetatis atque sexus ingens multitudo, laeta ac tripudians Regem suum tantopere expeti-

tum excepit, ac reduci gratulabatur: certatim omnes praeteritorum veniam & oblivionem ſupplices petebant. Ille lachrymans conſolabatur eos comiter, & ſuſpicione culpae metuque ſupplicii liberavit, dictitans, quicquid factum eſſet, non ſine nutu divino factum pro ſuis & Maiorum ſuorum meritis: adeſſe iam ſe, ſalutem omnibus, nec perniciem cuiquam adferentem: confidere autem ſe vicißim, ipſos fide ac benevolentia complexuros eſſe ſe, boni ac vigilantis Principis officio fungentem. Ita denſiſſimis laetitiaque exultantibus hominum catervis praecedentibus & ſubſequentibus, Gneſnam honorificentiſſime deductus, ſeptimo poſtquam Regno exceſſerat anno, & ibidem a Stephano Archiepiſcopo Gneſnenſi coronatus eſt. Vid. MART. CROMERVS *lib.* 4. *de O. & R. G. P.* MART. BIELSKI *lib.* 1. *Chron. Polon. a fol.* 68. *ad* 71. & SALOM. NEVGEBAVER *lib.* 3. *Hiſtor. Polon. pag.* 56. *ſeq.*

§. VII Poſt mortem Leſci Nigri, qui ſine prole maſcula deceſſit, multi competitores fuere, inter quos non infimae ſortis Vladislaus Loctícus ſeu Cubitalis, ex altera matre frater Leſci Nigri, qui Siradienſem terram occupavit, ſed Cracovienſes & Sendomirienſes in Comitiis prope Sendomiriam celebratis elege-

runt

runt sibi Boleslaum Principem Plocensem, ex consilio Pauli Episcopi Cracovienſis, praetereuntes Conradum fratrem eius, Ducem Masoviae. Boleslaus Cracoviam profectus, Monarcha salutabatur. Interea Henricus Probus Dux Vratislavienſis cum ingenti comitatu Cracoviam contendens, a Civibus Cracovienſibus, & inprimis lanionibus, quorum tum magna copia & auctoritas fuit, iuramentum fidelitatis & claves portarum recepit: quod videns Boleslaus, ad choreas ducendas magis quam bellum gerendum paratior, ex arce discedere in animum induxit, quem cum Senatores & Ordo Eqveſtris detinere non possent, ad Henricum Probum Legatos misere, ei se suaque submittentes. Hic rebus Cracoviae bene constitutis, Vratislaviam receſſit: Locticus vero interea collegit milites, & a Maioris Poloniae Pomeraniaeque Principibus, item Casimiro fratre Principe Lencicienſi, & Conrado ac Boleslao Ducibus Masoviae adiutus, Anno 1290 ineunte vere Cracoviam contendit. Qvod cum resciisset Henricus Probus, tum temporis aegrotus, Henricum Lignicenſem, Praemislum Sprotavienſem, & Boleslaum Opolienſem Duces, cum expeditiſſimis copiis Cracoviam misit, quorum adventu cognito, Locticus ad Severiam oppidum eis mense Maio occurrit, praelioque commisso, Prae-

mislum Conradi Glogovienſis Ducis filium admodum adoleſcentem obtruncavit, & Boleslaum Ducem Opolienſem vulneratum cepit, multis alias utrinque caeſis. Deinde duobus praeliis ad Skalam & ad Sviednitzam Sileſios proſtravit, victoriaque potitus, Cracoviam ingreſſus, ab omnibus Victor & Monarcha ſalutatus eſt. Sed hic Principatus poſſeſſionem non diu retinuit: Henricus quippe Dux Lignicenſis, aegrotante adhuc HenricoProboVratislaviae, exercitum inſtructum Cracoviam tranſmiſit, & cum nocte intempeſta acceſſiſſet Cracoviam, in urbem a conſciis receptus fuit. Loctícus inopinato perterritus tumultu. ex arce ad Franciſcanorum Coenobium fugit, ſumtoque Monachi habitu, de muro a Franciſcanis demiſſus evaſit: qui vero ab eius partibus ſtabant, partim caeſi, partim capti, partim eorum bona fiſco ſunt tradita: nec ipſi Epiſcopo Cracovienſi Paulo parcitum eſt, quod Vladislao impenſius favit: ſimili modo in Procerum, qui Loctico adhaerebant, pagos villasque ſaevitum eſt. Denuo rebus Cracoviae bene ordinatis, Henricus Lignicenſis Vratislaviam ad Henricum Probum reverſus, qui in extremo mortis agone, praeſente Thoma Epiſcopo Vratislavienſi, teſtamentum condidit, ut in Ducatu Vratislavienſi Conradus Dux Glogovienſis, patruus

eius,

eius, & in Cracovienſi Praemislus Dux maioris Poloniae ſuccederet. Ipſe Henricus Vratislavienſis veneno a ſuis propinato creditur mortuus menſe Septembri A. 1290. & tumulatus in Templo S Crucis, quod fundaverat. Conradus audiens, teſtamento Ducatum Vratislavienſem ſibi tranſcriptum, Vratislaviam ſe contulit, ſed a Senatu Populoque Vratislavienſi reiectus, quod promiſſorum non eſſet tenax. Voluntates eorum inclinabant in Henricum Ducem Lignicenſem, Boleslai Calvi filium, qui cum per unam portam moenia Vratislaviae intravit, per aliam Conradus egreſſus eſt. Hic tamen Henricum eiusque Civitates cum fratre eius Boleslao Duce Svidnicenſi freqventer infeſtavit, poſtea Conradus aulicum Henrici Luticum largitionibus corrupit, ut Dominum ſuum vel vivum adveheret, vel caput eius amputatum adferret; & quamvis de inſidiis his ſaepe monitus fuerit Henricus, eas tamen non curavit. Interiecto tempore, cum ſine miniſtris aliquando eſſet in balneo, nudum inde ſurripuit Luticus, & impoſitum equo veloci Glogaviam deduxit, ubi Conradus ferreae ciſtae, in qua nec ſtare nec ſedere potuit, eum tam diu incluſum tenuit, donec omni praetenſioni renunciaſſet, & triginta millia marcarum ſolviſſet; dedit etiam tum Conrado Henricus

victus Namislovienſe, Beroltovienſe, Olnenſe, Cruciburgenſe, Bicinenſe, Cunſtadienſe, Roſenbergenſe, Boleslavienſe, & Heinovienſe territoria; ipſe tertio deinde anno morbo conſumtus eſt lento, relictis tribus filiis, Boleslao, Henrico & Vladislao. Cracovia poſt mortem Henrici Probi ceſſit Praemislao Duci Maioris Poloniae, cui per idem tempus Meſcingus Dux Pomeranorum, filius Swantopelci, Ducatum Pomeraniae donavit; Sendomirienſem vero dominatum Vladislaus Locticus in poteſtate ſua habebat, & de Cracovienſi recuperando cogitabat, niſi eius cogitata Gryphina Leſci Nigri uxor intervertiſſet: haec enim ut tertia interveniens, ſive pertaeſa civilis belli, ſive verita, ne dotalibus bonis a victore eiiceretur, miſit clam Legatos ad Venceslaum, ſororis ſuae Cunegundae Reginae Bohemiae filium, Bohemorum Ducem, eique Cracovienſem ac Sendomirienſem terras dono dedit A. 1291. quas ſibi a Leſco marito donatas eſſe confictis diplomatis affirmabat. Venceslaus itaque proferendi imperii cupidus, cum ipſe ob electionem Romani Imperatoris inſtantem adeſſe non poſſet, miſit Tobiam Epiſcopum Pragenſem, ut Cracovienſem occuparet dominatum, quem etiam Praemislus, ne duplici bello implicaretur, eidem tradidit. Ad Sendomirienſem deinde tra-

tractum occupandum Bohemi animos adiicientes, Wislicia Oblegomo arce potiti sunt, & Sendomiriam obsidione cinxerunt, sed a Loctico caesi ac repulsi, in Bohemiam cum Gryphina, ne sententiam suam de donatione mutaret, se receperunt. Post abitum Tobiae Loctico recuperavit Visliciam aliasque arces, ipsum quoque Cracoviensem dominatum ense igneque vastavit & suburbia Cracovienſia exussit, ideo Cracovienses ad Venceslaum suos misere Legatos, ut ipsos adversus hostiles Loctici invasiones defenderet. Hic iterum Tobiam auxilio eis submisit, qui nihil defensionis contra hostem tentans, in Bohemiam reversus est. Anno sequenti 1292. Venceslaus in subsidium advocans Ottonem Longum Marchionem Brandeburgensem, venit Cracoviam festo Ascensionis Mariae, & a Civibus honorificentissime exceptus, consultabat, quomodo Loctici armis hostilibus esset occurrendum; equidem Sendomiriam, arce salva, & circumiectos pagos villasque Venceslaus rum combussit, sed mox remeavit ad suos, postquam eodem anno Casimirus Dux Opolienſis Ducatum suum eidem contulisset. Proceres Poloni sub tot Principibus malorum perpessorum pertaesi, ad unius dominatum respicere coeperunt, ideoque Praemislum seu Praemislaum, Praemisli I. filium

posthu-

posthumum, qui Maiorem Poloniam & Pomeraniam possederat, atque Henrici Vratislaviensium Ducis testamento Cracoviensium & Sendomiriensium Princeps nuncupatus erat, An. 1295. Gnesnae Regem crearunt, cum tricesimum octavum aetatis annum ageret. Ei diadema Regium solenni more imposuit Iacobus Swinka Archiepiscopus Gnesnensis. Hic Praemislaus Sigillum Regni exsculpendum primus curavit, in cuius una parte aquila erat cum inscriptione: *Reddidit ipse suis victricia signa Poloniis*: ex altera parte Rex in throno sedens, dextera sceptrum, sinistra pomum cruce supra picta tenebat, cum epigraphe: *Sigillum Praemislai Regis, Ducis Pomeraniae.* Septimo octavo susceptI Regni mense a Marchionibus Brandeburgensibus tempore bachanaliorum Rogosni vulneribus confossus, post mortuus, & Posnaniae sepultus est. Post Praemislai mortem Proceres cum Nobilitate & Pomeranis A. C. 1296. festo Alberti Posnaniam frequentes convenere, de novi Regis electione consultaturi. Candidati tum fuere, Rixa, filia decennis Praemisli, & Vladislaus Locticus; hic tamen magno consensu Rex creatus est, partim quod esset rei militaris peritus, partim quod Siradiensem, Lancicienscm, ac Sendomirienscm tractum omnem, & Cuiavienscs magnam partem ditione tene-

teneret. Regis titulo abſtinuit, ſed Haeredis Regni Poloniae nomen uſurpavit, ſolenni coronationis ritu dilato. In Sileſiam profectus, eam longe lateque depopulabatur, quod Bohemis favebat, inde in Maiorem Poloniam reverſus, otio voluptatibusque diffluebat, eius milites bona Spiritualium & Secularium diripiebant, ingenuasque feminas atque virgines vitiabant. Qvibus de rebus cum frequenter admonitus eſſet ab Andrea Epiſcopo Poſnanienſi, nec ſpem emendationis reliquerat, ſacris ei in tota dioeceſi interdictum eſt, Regnumque tum abſenti & in Minorem Poloniam profecto abrogatum eſt poſt tertium annum. Anno 1300. Poſnaniae Comitia electionis celebrata, in quibus duo Candidati commendabantur Regno, Henricus Dux Glogovienſis, & Venceslaus Bohemiae Princeps; illo ſpreto, hic ſplendida legatione e Bohemia accitus, Gneſnae ab Archiepiſcopo Iacobo Swinka coronatus eſt. Inde Poſnaniam profectus, Procerum ſvaſu duxit Rixam ſeu Eliſabetham, Praemislai Regis defuncti filiam. Hic groſſos Bohemicos primum in Poloniam invexit, Locticum e Regno fugavit, (qui ad Amadeum Hungariae Palatinum ſe recepit) eius ditiones ſub poteſtatem ſuam redegit, & Bohemis regendas adminiſtrandasque conceſſit, ipſe in Bohemiam ſe contulit, nec in

Poloni-

Poloniam unquam rediit, A. 1305. menſe Iulio Pragae lenta tabe abſumtus. Poſt cuius mortem Locticus repetebat Regnum Poloniae, ſed & Venceslaus filius prioris Venceslai, antea Hungariae, tum Bohemiae Rex expeditionem in Poloniam fecerat, atque titulum Regis Poloniae iam uſurpaverat; verum antequam Poloniae fines attigiſſet, Olomuci in Moravia meridiano tempore in cubiculo quieſcens, interfectus eſt. Locticus, morte Venceslai cognita, Bohemos e Regno fugavit, atque omnes Minoris Poloniae terras iurisdictioni ſuae ſubiecit. Actis deinde Cracoviae Comitiis magno omnium conſenſu Rex iterum A. C. 1306. creatus, Poſnanienſibus & Caliſſienſibus electioni Regis contradicentibus, quos tamen deinde, ut & Pomeranos & Crucigeros in Pruſſia fregit. In Baſilica Cracovienſi cum coniuge Hedvige ab Archiepiſcopo Gneſnenſi Iano coronatus, & ex eo tempore ius coronandi Reges atque ipſa Regni inſignia, Gneſna Cracoviam, propter amplitudinem urbis, translata ſunt. Vid. MART. CROMERVS *lib.* 10. *&* 11. *de O. & R. G. Polon.* MART. BIELSKI *lib.* 2. *Chron. Polon. fol.* 202. *ſeq.* & SALOM. NEVGEBAVER *lib.* 3. *Hiſt. Polon. pag.* 168. *ſeq.*

§. VIII. Septimum Interregnum numeratur

ratur post Casimirum Magnum. Hic ipse Casimirus postquam Vladislai Loctici filius, a magnificis operibus in arcibus oppidisque condendis, restaurandis & muniendis, ceterisque animi virtutibus Magnus dictus, (si excipias praecepti sexti peccata, qui propterea poenitentiam agens & absolutus, multa Templa condidit, multasque immunitates Ordini Ecclesiastico contulit) e vita anno regiminis tricesimi septimi, aetatis sexagesimo, excessisset; iam se vivo, Ludovicum Hungariae Regem, aut eius liberos, convocatis Regni Proceribus, successores designavit, qui audita morte avunculi sui, non ipse illico ad Polonos venit, sed prius ad eos Elisabetham, quae erat filia Vladislai Loctici, soror Casimiri Magni, & Caroli Roberti Regis Hungariae uxor, praemisit, quia timebat sibi, ne alii consangvinei, utpote Casimirus Casimiri Magni nepos Dux Pomeraniae, item Masovienses & Cuiavienses Duces, Regnum ad se raperent. Interea Poloni Legatos suos, Florianum Episcopum Cracovienſem, & Ioannem Strzelecki Cancellarium Regni, in Hungariam ad Ludovicum miserunt; ut Regnum Casimiri Magni testamento diu firmatum accederet administrandum, variaque pericula ab eo amoveret. Ludovicus tum Poloniae Oratoribus, tum Hungariae Proceribus, occasionem

onem acceptandi Regni ſvadentibus, argute & pulcherrime reſpondit: impoſſibile eſſe, unum Regem duobus Regnis praeeſſe poſſe, atque idem ſibi videri, ac ſi unus paſtor greges duos paſceret, neſciens vel dubius, cuius curam primus agere deberet; ſatis & abunde negotii eſſe, uni populo praeeſſe, duas vero Reſpublicas vix ulla ratione ſive alterius, ſive utriuſque incommodo ab uno adminiſtrari poſſe. Victus tandem aſſiduis Oratorum precibus, in Poloniam properavit, cui Magnates ad Sandeciam obviam progreſſi, Cracoviam eum deduxere. Id. A. 1371. factum eſt. Altero poſt ingreſſum die interrogatus a Strzelecki Cancellario, num in omnibus partibus ratum haberet teſtamentum defuncti Poloniae Regis Caſimiri, quod cum affirmando confirmaſſet, demonſtratum ei fuit, quod Caſimirus Magnus ea donaverit Caſimiro Pomeraniae Duci, quae ſine conſenſu Reipublicae a Regno alienare non poterat. Res haec ad Comitia futura fuit dilata, ex quibus duo Deputati, utpote Pelka Sendomirienſis Iudex, & Neboravius Subiudex Cracovienſis, teſtamentum Caſimiri pronunciarunt invalidum, ut vero Caſimirus Pomeraniae Dux litem hanc componeret, Dobrinenſem terram Ludovico Regi ceſſit, atque iuramentum fidelitatis eidem praeſtitit, quod ſi

ſine

sine prole decederet, Regnum Poloniae, Provincias, & ditiones suas occupare deberet. Circa coronationem Ludovici graves quoque tumultus orti erant, qvandoquidem maiores Poloni omnibus contendebant viribus, ut Rex more antiquo Gnesnae coronaretur: minoris vero Poloniae Proceres coronationem Cracoviae peragendam, exemplo Vladislai Loctici & Casimiri Magni urgebant, id quod obtinuere, cum A. C. 1371. Cracoviae a Iaroslao Bogoria Archiepiscopo Gnesnensi diadema fuit Ludovico impositum d. 17. Novbr. Postea Casimiri Magni filias, ne quid se absente turbarum in Polonia darent, in Hungariam praemisit, easque exhaeredes pronuntiavit, quod illegitimo toro essent natae. Ipse cum Poloniam quoque maiorem lustrasset, renuens Gnesnae denuo coronari, in Hungariam rediit, Polonorum animis vexatione & rapinis Hungarorum exacerbatis, regimen Poloniae matri Elisabethae commisit, adversus Palatinum Valachiae Transalpinae compescendum profectus. Interea maiores Poloni dominationis Ludovicianae pertaesi, Vladislaum Cuiaviae Ducem, Semoviti fratris Loctici ex filio nepotem, Divionae in Burgundia Monachum professum & Diaconum, evocarunt, qui A. 1374. clam adveniens, Inovladislaviam, Gnievcoviam, Slote-

riam, & Sarlaeum occupavit, sibique subiecit, quae deinde Praefectus maioris Poloniae Sendivoius Sobinius brevi tempore recuperavit. Insuper absente Rege alienati ab eo erant animi Polonorum, & quamvis Vladislaum Ducem Opolienſem, gubernatorem pro se genti Polonae miserit, noluit tamen ea alii, quam Ludovico a se electo, obtemperare. Qvamobrem Rex Proceres Poloniae postea Budam evocavit, atque rerum polonicarum summam triumviris commisit, utpote Episcopo Cracovienſi, Castellano Cracovienſi & Palatino Calisienſi, quorum tamen regimine non sunt mitigati Poloni. Ludovico in Polonia regnante, scribit ALEXANDER GVAGNINVS *in vitis Regum Poloniae in Ludov. Hung.* " nihil memo-"ria dignum gerebatur, sed homicidia latroci-"niaque passim exercebantur, propter absentiam "illius: qui vero de iniuria sibi illata in Hunga-"riam ad Regem proficiscebantur, hi a Rege "ad Reginam, a Regina ad Factores Regios & "a Factoribus ad Gubernatores in Poloniam "cum literis relegabantur, plurimisque iniuriis "& angustiis Polonia tota premebatur." E vivis excessit Rex Tirnaviae A. C. 1382. d. 13. Septembr. & Albae Regiae sepultus. In Polonia regnavit annos duodecim, & in Hungaria, quadraginta unum. Vid. CROMERVS *lib.* 13.

lib. 13. *de O. & R. G. Pol.* GVAGNINVS *loc. cit.* BIELSKI *lib.* 2. *Chron. Pol. fol.* 241. *seq.* & SALOM. NEVGEBAVER *lib.* 4. *Hist. Polon. pag* 212. *seq.*

§. IX. Mortuo Ludovico Rege, habuit Polonia octavum Interregnum. Cuius divulgata morte, Hungari plerasque praefecturas in Russia obtinentes, Lubarto Lucensium Duci, auro & argento ab eodem accepto, prodidere, & in patriam abiere suam, Lithvanis tum Volhynensem terram pro arbitrio suo usurpantibus. Praeterea Sigismundus Caroli Imperatoris filius, quem PASTORIVS *in Floro Polon. lib.* 2. *cap.* 20. Marchionem Brandeburgicum vocat, in Poloniam venit ad Regnum occupandum, quod ei Ludovicus una cum filia natu maiore Maria in matrimonium ducenda A. C. 1382. paullo ante mortem Zwoleni seu Zolii in Scepusio destinaverat, & in verba sua Polonos maiores Masoviosque iurare adegerat; non est tamen admissus ad fasces Regni, eo quod Magnatum animos offenderit, eos ad mensam Regiam non admittendo, & Demoratum Castellanum Posnanensem maiorisque Poloniae Praefectum dignitate hac non amovendo. Itaque Comitia Radomsci de novo Rege eligendo d. 25. Novembr. A. C. 1384. habebantur, in quibus Bozenta Archiepiscopus Gne-

ſnenſis & Demoratus partes Sigiſmundi tuebantur, plurimorum tamen ſententiae eo inclinabant, ut Hedviges Ludovici defuncti natu minor filia in matrimonium cum Regno Ziemovito Maſoviorum Duci daretur. Altera deinde Comitia Viſliciae in minori Polonia d. 6. Decembr. indicta, quibus Sigiſmundus & Demoratus intererant, ne cauſae ſuae deeſſent: venerunt illuc quoque Legati Hungarici ab Eliſabetha miſſi, Stephanus Agrienſis & Ioannes Chanadienſis Epiſcopi, qui Polonos hortati ſunt, ne ſententiam in eligendo Rege praecipitarent, donec a Regina matre de filiabus conſtitutum eſſet, utrum in Polonia, utrum in Hungaria regnare vellet. Tertia Comitia Siradiae A. C. 1383. habebantur, ad quae Eliſabetha Regina Veſprimienſem Epiſcopum cum aliis duobus Regni Hungarici Proceribus miſerat, qui Polonos religione iurisiurandi Mariae & Sigiſmundo dati ſolverunt, & Hedvigi Regnum e matris ſententia committendum petebant: promiſerunt inſuper praeſentiam Hedvigis in Polonia, & poſt coronationem, deinceps triennio ut immaturam viro Regnoque, apud matrem in Hungaria educandam volebant. Prorogata erant Comitia ad d. 28. Martii, quo omnium fere ſententiae in Ziemovitum Maſoviae Ducem propendebant, ut ei cum Hedvige Regnum

Regnum mandaretur; & licet Bozenta Archiepiscopus eum iam proclamasset, & universae multitudinis acclamatione Rex salutatus esset, solus tamen Ioannes Tencinius Castellanus Voinicensis obstitit, qui in hanc sententiam, ut est apud NEVGEBAVERVM *lib. 5. Histor. Polon. pag. 224. & 225.* peroravit: "Non equidem" consensum istum & iudicia vestra reprehendo," Proceres, nec a Ziemovito alieno sum animo," ego, si integra ea nobis res esset liberaq; pror " sus suffragia, tamen de re tanta consultantibus" amplius deliberandum esse censerem. Pe " riculosa enim est in re qualibet inconsulta fe-" stinatio, & praeceps consilium fere poeniten-" tia sequitur. Nunc vero cum mortui Regis" Ludovici filiae fidem nostram obstrinximus," perpendite cum animis vestris diligentius, an" ea praeterita, recte nobis Regem creare possi-" mus? Equidem fallendi iurisiurandi nunquam" vobis auctor ero. Qvodsi quispiam est in hoc" captu, qui religionem iurisiurandi, sanctissi-" mum societatis humanae vinculum, parvi" pendat, ab hoc mihi libere dissentire liceat." Neque enim ego ita sum institutus, ut aut ho-" mines, fidem meam seqvutos, mentiendo, aut" Deum mentium inspectorem, quem volens" sciensque iurisiurandi testem adhibui, peie-" rando fallam. A vobis quoque Proceres, & a"

"genere noſtro talem mentem, ſeu verius a-
"mentiam, Deus ut avertat, precor. Qvid
"igitur faciemus? dicet aliquis: ergone Rege
"orbi mutuis caedibus & inteſtinis bellis peri-
"bimus? procul hoc omen Deus avertat Quid
"ergo? dicam quod ſentio. Differendam ego
"hanc de creando novo Rege conſultationem
"adhuc eſſe cenſeo. Adſunt hic Oratores ſe-
"nioris Reginae, quae mandata ſive adeo po-
"ſtulata ad nos attulerint, non ignoratis. His
"igitur ita reſpondendum eſſe iudico. Non
"mutare vos id, quod ſemel cum Ludovico Re-
"ge veſtro iureiurando dato conſtituiſtis. Li-
"beratos autem a Sigiſmundi Marchionis fide,
"libenter in Hedvigi minore natu filia Ludo-
"vici fidem ſervaturos eſſe. Sed quod Polo-
"nia tam diu orba Rege in maximo verſetur
"diſcrimine, etiam atque etiam a Regina ſeni-
"ore petere, ut Hedvigim filiam primo quo-
"que tempore ad vos mittat, diadema ritu ſo-
"lenni ſuſcepturam, & nupturam viro ſibi no-
"bisque grato, & cum eo Regnum adminiſtra-
"turam Quod niſi illa ad proxime venturam
"Penteeoſten deſiderio noſtro ſatisfecerit, tum
"demum teſtari poſſumus, non per nos ſtare,
"quo minus pacta conventa cum Ludovico ſer-
"ventur, ſive Ziemovitum ſive alium qven-
"quam Regem creabimus. Neque enim eouſ-

que

que cunctantem, ne dicam ludificantem nos, Reginam expectare debemus, dum funditus perimus." Hac oratione moti Polonorum animi mutarunt sententiam, & Hungariae Legatos dimissuri, decreverunt, 1.) ut in Poloniam Hedvigis veniret, & viro de consilio Senatorum nuberet, 2.] ut Dobrinensem & Vielunensem tractum, & quicquid Poloniae in Russia detractum fuerat, recuperaret. Expectabatur nova Regina Sandeciae festo Pentecostes, & ad eam salutandam multi Poloni illuc convenerant, sed ob itineris incommoditates viarumque inundationes, excusante eam Palatino Calissiensi Subinio, nondum praesto erat. Interea Proceres Poloniae Cassoviam profecti sunt, & cum matre Regina transegerunt, 1.] ut festo Martini Hedvigis in Poloniam veniret, 2.) de consilio Senatus nuberet, 3.) ut si Hedvigis sine liberis decederet, Maria soror cum posteritate sua in Polonorum Regno ipsi succederet, vicissimque idem ius esset Hedvigi post Mariae mortem in Hungaria. Haec dum fiunt, Ziemovitus Masoviae Dux, qui Hedvigis nuptias ambibat, Cracoviam profectus est, ut adventantem Cassovia virginem rapere posset, verum cum a Crocovienſibus non esset intromissus, armis Regnum invasit, multaque oppida & arces Cuiaviae & Lenciciae occupavit. Addit

NEVGEBAVER *loc. supra cit. pag.* 226. quod idem Ziemovitus universae Poloniae Comitia ad d. 15. Iunii praedicti anni Siradiam indixerit, caedes & incendia iis comminando, qui dicto eius audientes non essent. Venerunt tum ad Comitia Siradiensia Nicolaus Vladislaviensis, & Stiborius Plocensis Episcopi, cum maiorum Polonorum caterva, in quibus Ziemovitus ab Archiepiscopo Bozenta Rex rursus renunciatus, fuissetque coronatus, nisi graves quidam viri coronationem dissvasissent. Solutis his Comitiis, Ziemovitus vocato in auxilium Conrado Duce Olesnensi, horrendos belli motus in Polonia maiori ciebat, quibus permoti minoris Poloniae Proceres, fratrum vices doluere, & festo Iacobi Comitia Cracoviae indixerunt, ad quae Ziemovitum & Bozentam invitarunt, ut communibus viribus pax & concordia Poloniae restitueretur. Induciae tum mensium duorum erant sancitae. Interea Elisabetha Regina generum suum cum Demetrio Archiepiscopo Strigoniensi & duodecim millium armatorum militum in Poloniam submisit, qui apud Sandeciam stativa habuere, consultantes, an bello esset impetendus Ziemovitus, an vero tempus finiendarum induciarum expectandum? prior tamen sententia steterit, atque tum Sigismundus cum armatis Hungaris Masoviam vastavit,

ſtavit, & hinc in Cuiaviam progreſſus, Breſtam ſubegit. Induciae deinde ſemeſtres cum Ziemovito pactae. Cum autem Eliſabetha tempore praefixo Hedvigin filiam in Polonism non dimitteret, Sendivoius SubiniusPalatinus Caliſſienſis & Capitaneus Cracovienſis, e ſententia Senatorum Equeſtrisque Nobilitatis ad Eliſabetham A. C. 1384. circa novum annum profectus, eam Iaderae in Dalmatia commorantem convenit, eidemque tumultus polonicos expoſuit, rogans, ut filiam ad coronationem mitteret, qua peracta, tam diu retinenda eſſet apud matrem, donec adoleverit. Infectis rebus cum rediiſſet in Poloniam Subinius, primum in minori Polonia Leloviae, poſt Radomſci in maiori, Comitia ſunt habita, in quibus idem Subinius Eliſabethae ſuperbiam, moroſitatem, & remiſſum in mittenda Hedvige animum declarabat, urgebatque, ut de novo creando Rege ſolliciti eſſent Proceres; verum aliis hoc conſilium diſplicuit, placuitque potius ſemel adhuc legationem, cuius caput ex Equeſtri Ordine eſſet Praedislaus Vavelius, ad Eliſabetham mittendam, ut Reginam emolliret, obſides iuvenes duos e conſangvinitate Subinii dimittendos expoſceret, & nunciaret, Polonos, niſi Regina vel filia d. 8. Maii in Regnum veniret, nunquam in poſterum Legatos ſuos in Hungaria

riam missuros. Missus ergo Vavelius, & significanda Reginae significavit, quae praedictis Poloniae malis allaturam se medelam putans, Sigismundum cum armata manu decrevit mittendū, ut tamdiu Rempublicam Polonam administraret, donec filia ad maturiores perveniret annos. Hoc ubi Poloni resciverunt, Sandeciam Sigismundo obviam profecti, inde Liblium Legatos miserunt, qui eum ab ingressu in Poloniam dehortabantur, & si facere pergeret, pro hoste patriae ipsum proclamabunt. Hic substitit, Sigismundus, & a Polonis Legatos ad se mitti postulabat, qui illuc profecti, id responsi a Sigismundo obtinuerunt, ut adventus Hedvigis ad Pentecosten usque expectaretur. Tempore tamen hoc praefinito non venerat Hedvigis in Poloniam, ideo Cracovienses & Sendomirienses d. 8 Maii Sandeciam convenerunt, inde Vavelium in Hungariam denuo missuri, quibus ille fortiter obstitit, dictitans, se aut mendacii, aut Conventum omnem levitatis argutum iri, cum Reginae denunciaverit, Polonos neminem deinceps vel publice vel privatim ad eam missuros: si vero novam legationem mitterent, vel eandem contemtum iri, vel se commissa non recte perfeciisse insimulatum iri. Nemo igitur tum temporis ad Elisabetham missus, Subinius tamen in Hungariam privatim profectus, perfecit tandem

dem, ut Hedvigis in Poloniam veniret. Comitabantur eam Demetrius Archiepiscopus Strigonienſis, & Ioannes Chanadienſis Episcopus, cum aliis Regni Hungarici Magnatibus. Audientes Poloni, Hedvigin in Poloniam adventare, effuſis laetitiae habenisCracoviam convenere, alii in fines Poloniae, alii Hungariae excurrerunt, eamque honorifice in Metropolim minoris Poloniae deduxerunt, ubi a Bozenta Archiepiicopo Gneſnenſi, die Hedvigi ſacra, Regina Poloniae inuncta & coronata eſt. Haec vivente adhuc patre Ludovico, in matrimonium promiſſa erat Wilhelmo Archiduci Auſtriae, qui tamen Polonis partim ob inopiam rerum, partim ob diſtantiam loci non placebat. Interim Reginae regimen perplacuit Polonis, niſi quod impar eſſe putabatur domeſticis Procerum ſeditionibus ſedandis, & externis bellorum motibus propulſandis; ideo de marito ei adiungendo ſollicitam navabant operam. Dum itaque Poloni de marito Hedvigi adiungendo conſulebant, Iagello Magnus Dux Lithvaniae Legatos Skirgellonem & Boriſſum fratres ſuos, & Stanulum Capitaneum Vilnenſem, ad Hedvigin cum peramplis muneribus miſit, eius matrimonium expetendo. Recuſabat Hedvigis, eo quod eſſet Ethnicus; ille promittebat contra, ſe cum gente ſua

nomen

nomen Christo daturum, omnes thesauros maiorum suorum in Poloniam importaturum, & Lithvaniam Poloniae adiuncturum. Placebant conditiones hae Polonis, placebant matri Reginae: missi posthac Oratores ad Iagellonem, Wlodicus Ogrodonecius, Christianus Ostrovius, Petrus Szafranez, & Hincia Roscovicius, ex Minorum Polonorum consilio, (nam pauci tum e Maiore Polonia aderant, sive quod Ziemovito magis favebant, sive quod intestinis belli motibus distinebantur) ut eum ad coniugium Hedvigis & Regnum Poloniae vocarent, si supra memoratas conditiones stabiliviſſet iuramento, eaque recuperare vellet, quae a Regno quocunque modo avulsa erant. Interea Hedvigis Regina cum Ziemovito Masoviae Duce his conditionibus pacem iniit, 1.) ut is in Polonia munitiones tempore Interregni interceptas redderet, ac pro illis decem millia sexagenarum Pragensium ab ipsa acciperet. 2.] ut Cuiaviam hypothecae nomine retineret, donec pecuniam accepiſſet. 3.) ut captivi utrique dimitterentur. 4.) ut pactum cum Polonis de Lencicia initum, esset irritum. 5.] ut de illatis acceptisque iniuriis arbitri constituerentur. 6.) ut Mogilnense Monasterium restitueretur. Hac fama in Austriam perlata, venit Wilhelmus Austriacus, a Gnievoscio Dalevicio Succam-

cammerario Cracovienſi admonitus, Cracoviam, in arcem a Dobeslao Curoſvancio Caſtellano Cracovienſi, aliisque Regni Proceribus non eſt admiſſus, in urbe tamen Reginam convenit, atque in Coenobio Franciſcanorum luce clara cum ea choreis indulſit, magisque animus Reginae in hunc adoleſcentem propendebat, matrimoniumque fuiſſet conſummatum, niſi Demetrius Goraius Regni Theſaurarius diſſvaſiſſet: Videns Auſtriacus, ſe minus gratum Polonis, in Auſtriam reverſus eſt. Interea venit A. C. 1386. e Lithvania Iagello, ſacroque baptiſmate d. 14. Febr. a Bozenta Archiepiſcopo Gneſnenſi, & Ioanne Epiſcopo Cracovienſi initiatus, nomen Vladislai indeptus eſt, moxque ſolenni ritu matrimonium cum Regina contraxit, & Rex quarto poſt die novo diademate (nam vetus a Ludovico in Hungariam tranſportatum erat) coronatus & inunctus eſt. Hic ergo Rex, iureiurando interpoſito & obſidibus datis, Lithvaniam omnem cum Samogitia, & ea parte Ruſſiae, quae in ditione ipſius fratrumque & patruelium eius erant, iure ſempiterno Poloniae adiunxit, & in unum corpus redegit. Vid. MART. CROMERVS *lib.* 14. *& 15. de O. & R. G. Pol.* ALEX. GVAGNINVS *in vitis Reg. Polon. in Vladisl. Iagell.* MART. BIELSKI *lib. 3. Chron. Polon. fol.* 209.

209 - - 270. SALOM. NEVGEBAVER *lib.* 5. *Hist. Polon. p.* 212. *seq.* & IOACH. PASTORIVS ab HIRTENBERG *in Flor. Polon. lib.* 2. *cap.* 20.

§. X. Extincta stirpe mascula Iagellonica in ultimo Sigismundo Augusto [qui A. 1572. d. 1. Iulii, alii d. 7. eiusdem, Knisini decessit] ex qua duobus Seculis Polonia Principes sumere consveverat, nunc Rege suo orbata, undique fuit pace circumvallata. Numeratur hoc tempore in Polonia nonum Interregnum. Post mortem Regis venerunt Cracoviam Sebastianus Mielecki Castellanus Cracovienſis, Ioannes Firleius Palatinus & Capitaneus Cracovienſis Mareschalcus Regni, Petrus Zborovius Palatinus Sendomirienſis, Casparus Zebrzydowski Palatinus Calissienſis, Hieronymus Ossolinski Sendomirienſis, Christophorus Myszkowski Ravenſis, Nicolaus Firley Vislicienſis, Stanislaus Szafraniec Biecenſis, Ioannes Tarlo Radomienſis, Ioannes Sienna Zarnovienſis, Nicolaus Ligenza Zawichostenſis, Christophorus Camorowski Oszwecimenſis, Castellani, cum multitudine Equestris Ordinis qui domesticis bellis occurrendo, Confoederationem A. 1438. Corcynia initam receperunt, in qua Antecessores concorditer se iuramento coniunxerant adversus eum unitis viribus pugnandi, qui quocunque

que modo tranquillitatem publicam tempore Interregni turbaret, in alium insurgeret, & in bona spiritualium vel secularium personarum involaret. Deinde Vrbi & Arci Cracovienſi praesidium militare imposuerunt, ac fines Poloniae ad Silesiam & Hungariam excubiis tutos reddiderunt, quibus Stanislaus Szafraniec Castellanus Biecenſis, & Stanislaus Cikowski Succammerarius Cracovienſis, praefuerunt; qui vero tempore hoc in militem expensas feciſſet, huic subscriptis Senatorum Nobilium que nominibus & sigillis confirmatis a Republica solvendae promittebantur. Maiores quoque Poloni ad Iacobum Vchanski Archiepiscopum Gnesnenſem & Primatem Regni Lovicium confluxerunt, inter quos e Palatinis fuerunt Lucas Gorcanus Posnanienſis, Albertus Laski Siradienſis, Ioannes Sierakowski Lencicienſis, Ioannes Słuziewa Breſtenſis, Arnoldus Vchanski Plocenſis, & Ioannes Skrotoszyna Inovladislavienſis: e Castellanis Stanislaus Wysocki Lencicienſis, & Stanislaus Kryski Raciecenſis, una cum frequentia Nobilium. In quo Lovicienſi Conventu unanimi suffragio sanxerunt, 1.) ut quilibet Nobilis ex Palatinatu in loco illo se sisteret, qui a Palatino ipsi esset assignatus. 2.) in transitu & itinere nemo alienorum bona expilaret, sed propriis nummis victum sibi pararet.

3.) neme

3.] nemo alium vi opprimeret, vel qui alium vulneraret & occideret, ad futura Comitia citandus, & pro pravitate delicti puniendus esset. 4.) qui ex bonis alterius aliquid surriperet, post hebdomadam denunciati huius Laudi restitueret. 5.] ut Castrensia Iudicia minime cessarent. 6.) ut qui Constitutionibus his se opponeret, vel eas violare vellet, pro hoste patriae esset habendus. Praeterea ex hoc Comitiolo ad Lithvanos missa est Legatio, quae 1.) iis gratias ageret, quod mortem Regis significaverint. 2.] illis denunciaret Constitutiones has Lovicenses, optando, ut & ipsi ad Primatem Regni more antiquo convenissent, & de rebus salutaribus consilia cum Polonis communicassent. 3.) ab ipsis sollicite peterent, ut tum suo, tum Polonorum nomine, ad Ducem Moscorum Legatos mitterent, confirmandae amicitiae veteris gratia. His peractis, d. 23. Iulii solutus est Conventus. Die 24. Augusti multi Senatores Regni Knisinum, ubi Regium cadaver erat, se conferebant; huc quoque accesserant Legati Lithvanici, ubi de die & loco electionis futurae mutuo convenerunt, eandemque in diem 13. Octobris in campo inter Lublinum & pagum Bistrizam, a Lublino uno milliari distantem, indixerunt. Ante comitia sive Conventus particulares & Comitiola

Poloni

Poloni celebrarunt nulla, Lithvani vero eadem in diem 14. Septembris Palatinatibus suis imposuerunt; quia vero Knisini peste grassante multi homines absumti fuere, cadaver regium Tykoczinum transvectum est, simulque Thesaurario Regni iniunctum, ut curam Reginae Viduae (erat haec Catharina, antea Francisci Gonzagae Ducis Mantuani Vidua, soror Elisabethae primae uxoris, filia Romani Regis Ferdinandi I. & Caroli V. neptis, secunda fuit Barbara Radzivillia) haberet. Palatinus insuper Plocensis cum Aulicis Regiis corpori custodiendo additus, ex thesauro regio Ministri soluti, & pecunia residua militibus in Poloniam mittebatur, Legati exterorum Principum Regno procul esse iubebantur. Ad correctionem iurium futurae electioni offerendam deligebantur Hieronymus Ossolinski Sendomirienſis, Nicolaus Firley Vilicienſis, & Ioannes Herburtus Fulstein Sanocenſis, Castellani, cum Paulo Osłowski, Valentino Orzechowski, & Mariana Przylonski: ad Caesarem Romanum, ad Magnum Ducem Moschoviae, & Tartaros Praecopenses, missi Oratores, ut Regis mortem partim denunciarent, partim in foedere inito ipsorum animos confirmarent. In autumno eiusdem anni Senatores cum Nobilitate Maioris Poloniae Colum confluxerunt, quia vero

Civitas haec peſtifera lue affligebatur, in campo convenerunt, Confoederationem anni 1382. Radomiae initam aſſumſerunt, iunctisque viribus contra quosvis patriae hoſtes ſe coniunxerunt. Sed haec omnia hactenus fuerunt irrita: demum Iacobus Vchanſki Archiepiſcopus Gneſnenſis Nobilitatem convocat Varſaviam, qui electioni novi Regis Feſtum trium Regum, & Comitiolis Feſtum Luciae deſignavit, ut in his e ſingulis Palatinatibus binos Nuntios ad Convocationem mitterent. Porro Legatos exterorum Principum a Convocatione futura abeſſe decreverunt, quis vero miles ſtipendia ſua exigebat, univerſales adminiſtros regii theſauri dederunt, ut intra quatuor hebdomadas Hieronymo Buzinſki Theſaurario Regni pecuniam e reditibus ipublicis vectigalibusque collectam mitterent, & rationes in futura Convocatione, ſub poena & amiſſione propriorum bonorum redderent. Regina Vidua, penes quam Stanislaus Karnkovius tum Epiſcopus Cuiavienſis, & Ioannes Sierakowſki Palatinus Lencicienſis eſſent, Lenciciae ut habitaret, non Varſaviae, conſtituerunt, ne exteri Legati ad latus eius factionibus indulgerent; quae tamen ſibi reginalem ſedem Piaſſeciae elegit, quod partim ab aliis locis peſte arceretur, partim ob incommodam habita-

bitationem alibi commode vivere non posset. Correctio iurium denuo commissa fuit Ioanni Sierakovio, Hieronymo Ossolinio, Ioanni Tomicio, Nicolao Firley, Ioanni Herburto Fulstein, & Simoni Subskio. Insuper conclusum, ut quilibet Nobilis ad propulsandas belli tempestates, si quae forte orirentur, in armis esset. Ad Lithvanos tum temporis Mechovae congregatos missa iterum legatio, quam ornabant Petrus Zborovius Palatinus Sendomirensis, & Ioannes Tomicius Castellanus Gnesnensis, & inde die 6. Decembris reversi, retulerunt Polonis suis, quod Lithvani 1.] non possent ad Convocationem prius venire, quam cum Nobilitate sua Conventus fuerit Vilnae habitus, adiicientes, quod in privilegio unionis nulla fieret mentio Convocationis, sed Electionis. 2.) Podlachiam & Vothyniam sibi restitui peterent. 3.) quod Magnus Lithvaniae Ducatus a Regina Vidua iure haereditario reposceretur, quem tamen ei minime tradere vellent. 4.) quod monetam Lithvanicam in Polonia tanti valoris esse cuperent, quanti in Lithvania. 5.) quod Tykoczyni privilegia nulla Polonis inquirenda essent, sed modo arx, quae thesaurum regium asservabat, firmissime communienda. Anno deinde 1573. Festo trium Regum non ad Electionis Comitia, sed ad

Convocationem Nobilitas Polona Varſaviam convenit, Lithvanica vero per Legatos ſuos, Oſtaphium Wolovicium Caſtellanum Trocenſem, Paulum Pac Caſtellanum Wittepſcenſem, & alios ex Ordine Equeſtri comparuit, eligendo ſibi pro futura electione locum Parkoviam, & diem electioni praefigendo circa Feſtum Alberto Saerum. Placuit tamen Nobilitati Polonae circa Varſaviam Comitia Convocationis peragere, in qua auditi ſunt primum varii Legati, & litterae variorum Principum lectae, 1.) Ducis Pruſſiae, qui nomine Domini ſui locum & votum in electione futura expectabat. 2.) Ducis Słucenſis Georgii Olelkovii, quibus querebatur, quod non ſit ad Convocationem vocatus, nec locus eidem aſſignatus. 3.) Ivoniae Valachiae Palatini, quibus turbas a Turca intentatas exponebat. 4.) Praefecti Generalis exercitus regni, quibus rogabat feſtinationem definiendi loci & diei pro futura electione, & ſolutione ſtipendii militaris, quod niſi mature ſolveretur, minitabantur milites invaſionem in Regia et Reipublicae bona. 5.] Lectae ſunt litterae Tartarici Legati, quibus ſollicitabat, ne Ducem Moſcorum vel eius filium Poloni in Regem eligerent. 6.) Principis Brunſvicenſis, quae erat ſoror Reginae, quibus tranſitum in Poloniam expetebat. 7.] Regis Sveciae Gedano

dano missae, quibus Legati eius potestatem comparendi in Convocatione dari sibi petebant. 8.] Imperatoris Romano-Germanici, quibus gratias agebat Polonis, quod Legatos ipsius benigne suscepissent. 9.) Regis Hispanici, quibus expetebat, ut cum Legatis Hispanicis Caesarei simul audirentur. 10.] Turcici Imperatoris, quibus desiderabat, ut Poloni pacem cum eo servarent, Regemque talem eligerent, qualem ipse Turca, ut pacate cum ipso ageret, expetebat. Postea adversus Archiepiscopum nonnulli insurrexerunt, derogando illi auctoritatem Cardinalis, & producendo privilegium Casimirianum, quod nullus Episcopus vices Cardinalis & Legati obire in Regno debeat, ad quod ipse Archiepiscopus prolixe respondit, apud MART. BIELSKI *lib.* 6. *Chron. Polon. fol.* 664. 665. 666. 667. Tandem dies electionis in 5. April. praefixus, locus vero circa Varsaviam ad pagum Kamienum. Insimul constituerunt, ut in transitu ad electionem futuram profecturi nulla facerent damna, Palatinatui suo quisque se adiungeret, & in loco a Mareschalcis designato subsisteret: ad locum electionis nemo armis & bombardis veniret onustus, modo eligendi Regem ostenso, quae tamen inposterum in Comitiis Electionis non fuere observata. Confoederatio quoque, seu

pax religionis inter inter Dissidentes sancita, ne alter alterum ob religionis diversitatem injuriis afficeret, sed in concordia civili & pace mutua utrinque viverent. Comitiola in omnibus Palatinatibus die Lunae post Dominicam Laetare habenda indicta sunt, in quibus census pro milite conducendo conquireretur. Anno Christi 1573 d. 5. Aprilis ad Comitia Electionis confluxerunt Senatores, Equites utriusquo gentis, in quorum medio tentorium Regium ad eligendum futurum regnantem erat erectum: die 6. Aprilis a Sacris, more usitato, electio inchoata, atque principio eius sancitum est, 1.] ne quis nisi leviter armatus ad campum electionis venire auderet, qui contra faceret, capite plecteretur. 2.) ut omnes pacate & tranquille agerent. 3.) ut qui bombardam exoneraret, per totam electionem incarceraretur; qui vero explosa alium enecaret, vita mulctaretur. 4.) peregrini & electorum ministri procul a tentorio abessent, & citra vociferationes inconditas subsisterent. 5.) ut nemo quidpiam alii eriperet, qui id faceret, ut duplum restitueret. 6.] ne quid ad locum electionis crematum, cerevisiam & vinum adveheret, sub amissione advectorum liquorum. 7.) ut moneta Lithvanica in Polonia eiusdem valoris esset. Sequenti die 7. Lithvani & Dux

Stu-

Slucenſis excuſabant tarditatem ſuam, Pruſſici vero Legati locum dari Duci ſuo in Comitiis petebant, qui necdum concedebatur. Die Octava Gregorius XIII. P. R. litteras miſit ad Commendonum Legatum ſuum, qui Confoederationem Religionis in Varſavienſi Convocatione initam acriter perſtrinxit, docendo, unam religionem eſſe, & Regem in Polonia Catholicum eſſe debere. Die nona Legati Caeſaris Romano-Germanici ſunt auditi, Wilhelmus Roſenbergius & Venceslaus Perſteinius Bohemi, qui Erneſtum filium Caeſaris, vigeſimum aetatis annum agentem, commendabant. Eadem die audiendi erant Oratores Gallici, ſed eorum propoſitio in ſequentem differebatur diem, quo Ioannes Monlucius Epiſcopus & Comes Valentiae, Aegidius de Noiales Abbas Inſulae, & Gvido Sangelaſius de Lanſac Ordinis S. Michaelis Eques, Henricum Andium Borboniorum & Alvernorum Ducem commendabant. Monlucii Orationem in litteras retulit BIELSKI *lib. 6. in Chron. Polon. fol.* 677----691. Legatus Regis Hiſpaniae legationis munus obire nolebat, quod eum Legatus Gallicus praeceſſerit. Legati Svecici Ioannem III. Regem Sveciae commendabant. Legati Electorum Germanicorum Erneſtum Auſtriacum: quibus Status Bohemici aſſenſum ſuum praebuerunt.

Herraburdus a M. D. Lithvaniae ad Moſchorum Ducem miſſus, ipſius nomine praeter caetera proponebat, quod ipſe Moſchorum Dux ſeipſum vel filium Frederovicium Regni Poloniae Candidatos commendaret, his conditionibus, ut 1.) titulus Ducatus Moſcoviae ſcriberetur prius, quam titulus Regni Poloniae & Magni Ducatus Lithvaniae. 2.) ut poſt mortem Frederovici, nullum alium Poloni eligerent aliunde Regem, niſi ex ejus poſteris, vel his deficientibus e gente Moſcovitica. Inſuper Legatus Palatini Wallachiae afferebat litteras a Machmete ſupremo Conſtantinopoleos Baſſa, nomine Imperatoris ſui, qvibus intercedebat pro Henrico Valeſio; poſtea ab ipſo Imperatore Turcico Selymo Orator Achmet Czaus venit, Imperatoris ſui gratiam, amicitiam, & benevolentiam omnem Regni Senatui offerens, ſimulque rogans, ſi aliquem ex ſuis Regem eligere vellent, unum ex his videlicet: Iacobum Vchanſki Archiepiſcopum Gneſnenſem, Ioannem Firleium Palatinum Cracovienſem & Regni Mareſchalcum, Georgium Iasloviecium Ruſſiae, ac Nicolaum Mieleçium Podoliae, Palatinos. Regem conſtituerent; quodſi ex exteris aliquem cuperent, Henricum Valeſium Henrici II. Regis Galliarum filium, Rupellae tum fratris Caroli IX. nomine obſidentem, illis com-

commendabat. Tandem Legati Ducum Pomeraniae advenerant, petentes, ut more Maiorum ipsis liceret electioni Regis interesse, sed quia tarde venerant repulsam passi sunt. Plurimi itaque tum temporis, partim ex alienigenis, partim ex indigenis, Competitores erant: indigenas vero mox compescuit Ioannes Zamoscius, Praefectus tum Belzensis, cum publice oravit, ut indigenae illi vel Candidati esse desinerent, vel campo Electioni dicato decederent, quo liberius proferre posset, qvid in qvoque vel laudaret vel desideraret Respublica. Iunctis deinde Equestris Ordinis suffragiis cum Ordine Senatorio tres Candidati e reliquis mansere, Henricus Andium Dux, Ernestus Austriae Archidux, & Ioannes III Rex Sveciae. Patronus datus e Senatu est Ernesto Petrus Miscovius Episcopus Plocensis, Henrico Stanislaus Karnkovius Episcopus Cuiaviensis, & Ioanni III. Nicolaus Mielecius Palatinus Podoliae. Ac primum Petrus Miscovius, adstantibus earundem partium antesignanis, Fabiano Cema Palatino Mariaeburgensi, & Stanislao Slupecio Lublinensi Castellano, pro Ernesto Austriaco peroravit. Orationem eius vide apud PASTORIVM *in Flor. Polon. pag.* 234. 238. Pro Henrico Valesio Stanislaus Karnkovius, a cuius partibus stabant Petrus

Zborovius Palatinus Sendomirienſis, & Ioannes Koſtka Caſtellanus Gedanenſis, dixit. Orationem eius vide apud eundem PASTORIVM *loc. cit p.* 240. *ſeq.* Pro Rege Sveciae Ioannes Firley breviter quidem, ſed graviter dixerat Vid. PASTORIVS *loc. cit. p.* 244. Eandem ingeminabant Palatinus Podoliae Mielecius, & Anshelmus Goſtomſki Palatinus Ravenſis. Nec indignus Regno Candidatus tum nonnullis eſſe credebatur Magnus Dux Moſcoviae, quod more Iagellonis Magnum Ducatum Moſcoviae ſit Regno Poloniae adiecturus, & ipſis Turcis formidabile Imperii Sarmatici corpus ſit effecturus; ſed mox vota haec ob barbariem & tyrannidem Moſci conticuerunt, & Henricus pluralitate ſuffragiorum & commodorum multitudine alios Candidatos ſuperabat. Videntes hoc Ioannes Firley, Nicolaus Mielecius, Anshelmus Goſtomſki, cum multis aliis, Electioni huic acriter reclamarunt, in pagum Proch, uno lapide a Camieno diſtantem, ſeceſſerunt, Religionisque Confoederationem conſcripſerunt, cui quidem ſubſcripſerunt Politici Senatores, ſed e ſpiritualibus nullus, praeter Franciſcum Kraſinſki Epiſcopum Cracovienſem. Et haec res ad ſeditionem & plurimi ſangvinis effuſionem ſpectaſſet, niſi Firleii, tanquam prudentis Senatoris, Oratio omnem ſedaſſet tumultum, qui

qui ita dicere orsus est: "Video equidem, &" manifeste video, non modo non aliquid com-" modi Principem poenae loco a Supremo Nu " mine, promerentibus peccatis nostris, nobis" destinatum, sed malorum plurimum importa-" turum; verum cum maiori parti sit visum," satius duco accedere plurium votis, quam pro-" positi pertinacia in discrimen aliquod patri-" am adducere. Videbunt ac dolebunt profe-" cto illi ipsi, qui auctores iam eligendi Regis" sunt, & utinam falsus sim vates, temporis pro " gressu suo cum damno experientur, quantum" in periculum patriam carissimam improvide" praecipitarint. Ego, cui iam potissima vitae" pars decursa est, vix illorum talium spectator" ero; vos, aetate me inferiores, dictorum me-" orum memores estote, deprehendetis quod" dixi." Haec Oratio movit Dissidentium animos a tumultu, atque lex de religione peculiariter sancita & obsignata est. Ipsi vero Gallici Legati, cum nomine Caroli IX tum Henrici, articulos pactorum conventorum A 1573. d. 16. Maii confirmarunt iuramento, quos reperies inter *Statuta, Constitutiones & Privilegia Regni Poloniae fol. 224 seq.* & apud BIELSKIVM *lib. 6. Chron. Polon. fol. 697. seq.* Post iuramentum deducti Varsaviam Legati, cum prius voce Ioannis Firley, tanquam primi

in Re-

in Regno Mareſchalci, & Ioannis Chotkevii Mareſchalci Magni Ducatus Lithvaniae, Henricus Rex Poloniae renunciatus eſſet, d. 18. Maii, erat Feria 2. Pentecoſtes, in Eccleſia Ioannis tam Catholici quam Evangelici concordibus vocibus hymnum Ambroſii & Auguſtini decantarunt, tormentaque grandia ad laetitiam exprimendam exonerarunt. Comitiis nondum ſolutis, dies 4. Octobris futuraeCoronationi Cracoviae deſignatus, tabulae Electionis confectae, & ad eas in Galliam perferendas, ad ſalutandum Regem electum, delecti tam a Senatu Poloniae & Lithvaniae, quam ab Equeſtri Ordine, tredecim Oratores, magno nati loco, & ſingularis prudentiae, qui petita quidem facultate per Germaniam tranſeundi, nondum tamen impetrata d. 19. Auguſti Lutetiam Pariſiorum ingreſſi ſunt. In Comitatu hoc praeter Principes legationis, & complures nobiliſſimos adoleſcentes, erant amplius 250. hi a Rege Carolo IX. ſummis hoſpitalitatis officiis excepti, tertia poſt ingreſſum die ſalutarunt Regem, eius matrem Catharinam, & Iſabellam coniugem, Maximiliani Caeſaris Romano-Germanici filiam. Die 24. Auguſti poſt prandium Henrico obviam profecti, qui ex obſidione Rupellenſi Lutetiam venerat, & ideo auream roſam a Pontifice Romano acceperat; cui nomine Reipublicae Po-

cae Polonae Adamus Konarski Episcopus Posnanienſis denunciabat, quod Rex Poloniae esset electus, Decretum Electionis ei traditurus, si prius offerendas conditiones iuramento confirmare vellet. Rex novus tum ipse, tum per Cancellarium respondit suum ei, atque Deo & Sereniſſimae Reipublicae gratias agit, quod prae aliis diademate Regni Poloniae sit condecorandus. Demum d. 10, Septembr. in Templo pacta conventa ab Henrico sunt confirmata, licet adversus Confoederationem Religionis frustra protestaretur Episcopus Posnanienſis, & deinde Rossobucki hunc in finem e Polonia missus in Galliam. Die 12. Septembr. Decretum Electionis in cistula argentea productum ab Episcopo publice in Capella fuit lectum, ac Te DEVM laudamus praesente Aula Gallica decantatum, atque Henricus Rex a Polonis gratulationibus exceptus est, hique ad oscula manus eius sunt admissi. His peractis Ioannes Zborovius in Poloniam dimissus est, ut nunciaret, Henricum pacta conventa iuramento confirmasse, propediem in Poloniam adventurum, quem Legatus Callicus Ramboletus, ut idem significaret, postea sequutus est. Rex d. 18. Septembr. Parisiis valedixit, quem comitabantur fratres Carolus & Franciscus, mater Catharina, Dux Lotharingiae & Gallica Nobilitas

sexcen-

sexcentorum fere virorum. Vitriaci aegre fratre Carolo IX. Rege, Duce Lotharingiae Nansii, Catharina matre, Francisco fratre, & Margaretha sorore Blamonti relictis, per tabernas in Alsatiam, superato Rheno per Heidelbergam, & iterum superato eodem fluvio Moguntiam, Francofordiam ad Moenum, & Fuldam pervenit. Deinde Visurgim & Albim fluvios traiiciens, Saxoniam intravit, inde Francofordiam ad Oderam, tandem Mesericiam oppidum Polonicum d. 25. Ianuarii A. 1573. ingressus est, & a Stanislao Karnkovio Cuiavienſi Episcopo salutatus, ubi maximo cum gaudio a Nobilitate gentis Polonae susceptus, postea Posnaniam in Maioris Poloniae Metropolim honorificentissime deductus, magnificentissimeq; exceptus, plures dies in ea transegit. Exequiae funebres d. 15. Febr. Cracoviae Sigismundo Augusto peractae, ad quas condecorandas Henricus praemiserat Albertum Mareschalcum Franciae, quas descripsit ALEXANDER GVAGNINVS *in Sarmatia Europaea fol. 47. seq.* Die 17. Febr. Rex Balicae uno lapide a Cracovia a Ioanne Firley Palatino Cracovienſi salutatus est: die 18. eiusdem ingressum in Metropolim Poloniae Minoris Cracoviam habuit, quem ut celeberrimum, & coronationem Regis fuse delineavit idem GVAGNINVS *fol.* 49. - - - - 57.

Rex

Rex auguſtiſſima ſolennitate a Iacobo Vchanſki Archiepiſcopo Gneſnenſi d. 21. Febr. Matthiae Apoſtolo tum ſacro, inauguratus eſt. Confer BIELSKI *Chron. Polon. fol.* 651. -- 719. GVAGNINVS *loc. cit. fol.* 45. - 57. SALOM. NEVGEBAVER *Hiſt. Pol lib.* 9. *p.* 641. - 646. MAXIM. ANDR. FREDRO *in Hiſtor. Henrici Valeſ.* IOACH. PASTORIVS *in Flor. Pol. lib.* 4. *pag.* 230. -- 252. REINHOLD. HEIDENSTEINIVS *Rer. Polon. lib.* 1.

§. XI. Henrico, inſciis Regni Senatoribus, A. C. 1575. d. 18. Iunii noctu Cracovia migrante, citatis equis Biczinam Sileſiae oppidum pervenit, poſtquam antea d. 15. Iunii Proceres Regni Cracoviam convocaſſet, eiſque expoſuiſſet obitum fratris Caroli IX. Regis Galliae, & cauſas addidiſſet, cur ſua in Gallia praeſentia eſſet neceſſaria; cui tum Senatus Regi praeſens reſpondit, quod ſine totius Regni conſenſu Rex e Regno migrare nequiret, nec in Auguſtum Comitia, quae poſtulabat, indici poſſe conceſſit. Rex tamen, his non obſtantibus, clanculum poſt quadrimeſtrem Regni Poloniae adminiſtrationem e Polonia abiit. Et licet Ioannes Tenczinius, Cubiculi Regii Magiſter, cum Zebrydovio, Regem in Auſtria eſſent aſſecuti, diligentiſſime orantes, ut & ſuae & Regni exiſtimationi conſuleret, ac in Poloni-

am re-

am rediret; non potuit tamen ab itinere retrahi. Interim Danſaeo, quid poſt diſceſſum agere deberet, ſe expoſuiſſe affirmabat, relictis in lecto ſuo ſub cervicali litteris, poſtquam Tenczynio annulum e dextro detractum tradidiſſet, non modo ipſe Tenczynius, ſed & Karnkovius, Zborovius & Demetrius Solikovius, ut abitus Regii conſcii, nimium vapulabant. Poſtea Comitia Convocationis fuere Varſaviae in autumno circa feſtum Bartholomaei habita, in quibus diſputatum, an Regnum, an vero Interregnum in Polonia eſſet? Inde Hieronymum Rozdrazevium Secretarium maiorem, & Ioannem Thomam Drophovium in Galliam deſtinarunt Legatos, qui Henricum intra Italiae fines Ferrariae adhuc haerentem convenerunt, nullis tamen precibus a ſuſcepto itinere & propoſito revocare potuerunt. In Comitiis Convocationis dies 4. Novembr. novae Electioni deſignabatur, niſi Rex mature in Regnum adveniret. Miſit interim Bellegardium & Pibracium Legatos in Poloniam Henricus, ſed ille per Italiam pro Rege pecuniae conquirendae ergo diutius morans, in Galliam infectis rediit rebus; hic exauctorationem Henrici Regis publice in Polonia ſpectavit. Menſe Octobri in Ruſſiam Tartari ingreſſi erant, quorum excurſionibus exacerbati Poloni, alium Regem diſpiciebant,

ciebant, sed quoniam Regis adventum adhuc expectandum esse plerique consulebant, iterum Archiepiscopus d. 3. Octobr. Convocationem Varsaviae habendam indixit, in qua denuo dies 4. Novembr. Electioni novae praefixus erat. Inter Candidatos tum temporis ex indigenis erant Anna, Poloniae Regis Sigismundi filia, Ioannes Kostka Palatinus Sendomiriensis, & Andreas Tenczynius Palatinus Belzensis; ex alienigenis erant Maximilianus Imperator Romano - Germanicus, & Ernestus filius eius, Ioannes III. Rex Sveciae, Stephanus Bathori Princeps Transylvaniae, & Alphonsus Ferrariae Dux. Conditiones a Maximiliano & Ioanne III, eadem, ut in Interregno priore, proponebantur. Nomine Stephani propositae sunt sequentes conditiones, quod 1.] iura & privilegia omnia confirmare & firmiter servare, 2.] debita Regni solvere, 3.] a Mosco ea, quae a Regno avulsa erant, recuperare, 4.) cum Turca aeternum foedus pangere, 5.) fines Poloniae defendere, 6.] ante ingressum in Poloniam centies mille florenos mittere, 7.) captivos a Tartaris liberare vellet. Legati Ducis Ferrariae has insinuabant conditiones, quod 1.) immunitates & privilegia omnia fideliter conservare, 2.) dignitates nulli extero conferre, 3.] pacem inter Dissidentes in Religione tueri,

4.] Academiam Cracovienſem viris doctiſſimis exornare, 5.) artifices & opifices ad reparationem artium in Regno ſumtibus ſuis ex Italia evocare, 6.) novum portum mercatoribus Polonicis in Italiam ad mercatum profecturis aperire, 7.) adverſus Moſcum 4000. peditum per ſex menſium ſpatium ſtipendiis ſuis alere, 8.) ingruente in Polonia bello a Principibus Italiae auxilium petere, 9.) bellum per ſe gerere, 10.) tempore pacis omnia officia boni Regis implere, & fines Regni frequenter viſitare, 11.) debita Regni omnia exolvere, 12.] omnes reditus quolibet anno in theſaurum Regni inferre, 13.] Ducatum Galliae Regno Poloniae donare, 14.) quinquaginta iuvenes ex Nobilitate Polonica Ferrariae vel alibi locorum liberalium artium vel exercitiorum equeſtrium addiſcendorum ergo ſumtibus ſuis ſuſtentare, 15.) trecenties mille florenos in Regnum mittere, & quantocius in Poloniam properare velle. In hac Electione Maximilianus Caeſar a maxima Senatorum Poloniae & Lithvaniae parte electus, & a Iacobo Vchanſki Archiepiſcopo Gneſnenſi d. 12. Decembr. proclamatus eſt, quem deinde MareſchalcusRegni publice denominavit, atque more ſolito in Templo Ioanneo Varſaviae hymnus conſvetus declamatus eſt; Equeſtris tamen multitudo in hanc non conſenſit

sensit Electionem, quae mox a Stanislao Szafranecio sedata est. Interim sequenti die 13. Decembr. Rota Equestris Oratores ad Archiepiscopum & Legatos Caesaris misit, exprobrantes ei festinationem hanc, & praetendentes, Electionem contra libertates Regni Poloniae esse factam. Insuper, revocabant sibi in memoriam beneficia Domus Iagellonicae, Sigismundi filiam Annam Reginam sibi elegerunt, maritumque ei adiunxerunt Stephanum Bathori Principem Transylvaniae, quam Electionem publicavit Ioannes Siennius Archiepiscopus Leopolienſis. Ad Annam Ioannes Kostka cum aliis missus, quae prius recusans Regnum, deinde in vota electorum consensit. Blandratae & Berzevicio Legatis Stephani articulos pactorum conventorum scriptos obsignatosque tradiderunt e Polonia profecturis, quos magni nominis Senatores mox sequti sunt; sed & qui Caesareanas partes sequebantur, pacta conventa conscripserunt, Legatisque Caesaris obtulerunt, juramento a noviter electo Rege confirmanda Annae vero & Stephano Bathori per Legatos suos Regnum disvadebant. Ex adversa parte Oratores ad Caesarem mittebantur. Anno 1576. d. 14. Ianuar. aliquot Senatores cum magna Equestris Ordinis multitudine Andrejoviam armati convenerunt, ex Ecclesiasticis solus

aderat Episcopus Cujaviensis qvi multis verbis agebat, ut utraqve pars a Candidato suo recederet; sed cum nihil obtineret, Electioni Stephani subscripsit. Eo tempore Hieronymus Philippkowski a Stephano advenerat, litterasque ab eo ad Rempublicam afferebat, quibus pro affectu hoc singulari gratias solennes agebat, omnes conditiones se adimpleturum promittebat, & adventum suum in Regnum procrastinare nolebat. Per eundem Philippkowski significarūt Poloni Electo suo, quod ab illo non sint recessuri, modo praesentiam maturaret. Die 30. Ianuarii Legatus Caesaris Rosenbergius in maxima frequentia auditus, inconstantiam Polonorum vehementer mirabatur, simulque eum male habebat, quod Caesar in Regem Poloniae unanimi suffragio non esset electus, cum id ante Legati Polonici ad Aulam Caesaream missi constanter asseverarent. Rogatus deinde Rosenbergius a Conventu Andreioviensi, ut Caesarem a cogitationibus Regni revocaret, quod quidem, sed non sine invidiae nota, fecit. In eodem Conventu Electio Stephani confirmata, & Coronationi dies 4. Martii praefixus, quo simul nuptiae cum Anna essent habendae. Haec omnia deinceps Stephano & Annae, item Lithvaniae & Prussiae, per Legatos suos denunciarunt, vacantia officia in posterum

sterum a Rege futuro confirmanda distribuerunt, tributum approbarunt, & per Legatos suos Caesarem a Regno dehortabantur. Soluto Andreoviae Conventu, Cracoviam se contulerunt ut eutam ab omni impetu Caesareano redderent arcem, quam Petrus Zborovius Palatinus & Praefectus Cracovienſis eis tradiderat; ad alios Cracoviae tum temporis morantes, & a partibus Caesaris stantes, Oratores missi, ut in gratiam cum ipsis redirent, & Stephanum pro Rege reciperent, vel Cracovia n migrarent: Magistratus quoque Cracoviae ad Senatores Regni vocatus. non alium quam Stephanum Regem & Annam Reginam agnoscebat; idem Capitulum Cracovienſe fecit, Academia vero nunciavit duas se habere Orationes, unam pro Caesare salutando, alteram pro Principe Transylvaniae, qui primus advenerit, eum pro Rege habituram. Vna porta Cracoviae tum erat aperta, aliis occlusis. Vltima Februarii Archiepiscopus Conventum Lovicii habendum indixit, sed sine effectu. Die 8. Febr. Megelae in Transylvania Stephanus pacta conventa a Polonis Legatis oblata iuramento confirmavit. Die 18. Febr. Anna ingressum in Cracoviam celebravit. Eo tempore, quo Coronatio peragenda erat, Convocationem Varsaviae habendam Archiepiscopus indixerat, sed iterum sine

fructu. Die 3. Martii Golick Emericus, Stephani Legatus, Cracoviam ingressus, Diploma ejus cum litteris ad Senatores attulit, Regnantemqve in itinere esse nunciavit. Die 23. Martii Maximilianus iura & immunitates Polonorum Viennae iuramento confirmavit, a cuius partibus inter alios Gedanenses stabant, qvos deinde Stephanus bello Dirsavienſi fregit, & ad officium reduxit. E Lithvania die 7. April. Oratores missi retulerunt, male Lithvanos habere, qvod Regem sine ipsorum scitu & consensu elegerint, ad qvos missi iterum e Polonia Legati, ut qverelas ipsorum sedarent, & diem 8. April. Coronationi destinatum denunciarent. Interea Rex Stephanus per Valachiam & Russiam iter faciens, intra Poloniam haerebat, ab Hieronymo Palatino Russiae & Nicolao Castellano Camieniecenſi honorificentissime salutatus, qvibus Rex ipse latine respondit. Solikovius missus ab Episcopo Cracovienſi ad Regem, ut cuius religionis esset, ex eo exqvireret, (nam Evangelicum esse pleriqve autumabant, qvod ab Electoribus Evangelicam Religionem profitentibus maximam partem erat electus) qvi se Catholicum esse ingenue fassus est. Eo tempore Legati Vienna redierant, afferentes secum ad Regni Senatores a Caesare litteras, qvas, inspecto solum inscriptionis titulo legere noluerunt.

noluerunt. Stephanus die 18. April. Mogila profectus Cracoviam ingressus est, primum in campo ab Episcopo Cuiavienſi nomine Senatus & Nobilitatis ſalutatus, cui Rex ipſe reſpondit. E Lithvanis nemo tum aderat, qvorum tamen deinde animi opera Ioannis Chotkievicii Capitanei Samogitiae flexi, & licet Ioannes Chlebovicius Caſtellanus Minſcenſis Stephanum nomine Lithvaniae in praeſentia ipſius Regem recipere noluerit, poſt tamen habitis Grodnae & Mſciboviae Comitiolis, Regis imperata Lithvani fecerunt, qvamvis Coronationi eius non interfuerint, qvae A. 1576. d. 1. Maii a Stanislao Karnkovio Epiſcopo Cuiavienſi peracta eſt, cum Iacobus Vchanski Archiepiſcopus Gneſnenſis Caeſareanarum partium uſque tenax, venire Cracoviam abnuerat. Ad Caeſarem miſſi Legati, Ioannes Demetrius Solicovius & Ioannes Krotoſius Palatinides Inovladislavienſis, Secretarii Regii, qui per Sileſiam & Bohemiam profecti, Maximilianum Ratisbonae, ubi Comitia agitabat, reperiebant. Solikovius habita Oratione, coronatum eſſe Stephanum denunciavit, ac oſtendit conſenſionem plurium in Regno, promtumque Stephani in Poloniam adventum Caeſari cunctanti demiſſe, quicquid ei iuris ex paucorum a ceteris diſſenſu competebat, ſimulque diluit, quae Po-

lonis ab adversa parte obiiciebantur. Diu nullum responsum a Caesare acceperunt Legati, tandem illud adepti, dum in patriam redire volebant, non procul Ratisbona attenti, & Lincium in Austriam deducti, quadrimestri custodiae tradebantur: causa praetendebatur violatio iuris publici quod Henricus Kurtzbachius, missus a Caesare ad Gedanenses Orator, ab Ernesto Weyhero in itinere multis vulneribus affectus, iam morti quam vitae propior diceretur. Interim Caesaris morbus, & brevi tempore sequuta est mors, impetendae armis Poloniae consilia in filium Rudolphum II. deposuit, qui pacis, quam belli amantior, & Kurtzbachium vivum esse in Polonia intelligens, data mutuae securitatis sponsione, Secretarios Regios e carcere dimisit, & cum Republica Polona foedus firmum pepigit. Sic itaque turbis omnibus extra Regnum compositis, Stephanus Reipublicae Polonae fasces tenuit, cuius hoc olim circumferebatur elogium: "Magnus Stepha-
"nus in templo plus quam Sacerdos: in Re-
"publica plus quam Rex: in sententia dicenda
"plus quam Senator: in iudicio plus quam Iu-
"risconsultus: in exercitu plus quam Impera-
"tor: in acie plus quam miles: in adversis
"perferendis iniuriisque condonandis plus quam
"vir: in publica libertate tuenda plus quam ci-
vis;

vis: in amicitia ſervanda plus quam amicus:" in convictu plus quam familiaris: in venatio-" ne ferisque domandis plus quam leo: in tota" reliqua vita plus quam Philoſophus " Conf. MART. BIELSKI *lib. 6. Chron. Polon. fol.* 719.---733. SAL. NEVGEBAVER *lib. 9. Hiſt. Polon. circ. fin. Conſtitutiones Statuta & Privilegia Regni Poloniae fol.* 230.---263. REINHOLD HEIDENSTEINIVS *Rer. Polon. lib.* 2. IOACH. PASTORIVS *lib.* 4. *Flor. Polon in Henrico circ. fin. & in Stephano Bathori circ. princip.*

§. XII. Vndecimum afflixit Poloniam Interregnum, Stephano Rege A. 1586. d. 12. Decembr. epilepticis paroxiſmis Grodnae in Lithvania conſumto, An. 54. aetatis, cum regnaſſet annos 10. menſes 7. & dies 12. Archiepiſcopus Stanislaus Karnkovius, edictis in omnes Palatinatus emiſſis primo Minores Conventus per eos, univerſi autem Senatus Conventum Varſaviam in initium menſis Februarii Anno 1587. indixit. Inter alios Stanislaus Kolkievius Palatinus Ruſſiae Leopolim Nobilitatem evocarat, in qua Congregatione Ioannes Zamoſcius a Zborowiis acriter perſtrictus eſt, nitebanturque plurimi de abroganda illi ſumma exercitus praefectura, aut de adiungendo ipſi Collega. Confoederatio quoque Senatorum

& Equestris Ordinis ex Cracovienſi, Sendomirienſi Palatinatibus Cracoviae habita, eaque ad Acta Caſtrenſia A. 1586 feſto Ioannis Evangeliſtae oblata, in qua articulus inter Diſſidentes de Religione ab Henrico & Stephano confirmatus iuramento, in integro robore ſuo conſervabatur; Capturalia Iudicia Cracoviae poſt Sigiſmundum Auguſtum A. 1572. conſtituta approbabantur, & in omnibus Palatinatibus habenda indicebantur; Arx Cracovienſis Capitanei ſeu Praefecti Cracovienſis cuſtodiae commiſſa, & ut ad eius defenſionem trecentos pedites conſcriberet, concluſum. Inſuper definitum eſt, ut Convocationis Comitia ab Archiepiſcopo propediem inſtituerentur, ut fines Regni redderentur tuti, ut Senatus Cracovienſis immota fide & ſummo ſtudio civitatem defenderet, & ipſa cum aliis civitatibus, oppidis & iudaeis, ceterisque omnibus, Iudiciis Capturalibus ſubeſſet. In aliis per Regnum Conventibus, praeter iudiciorum & ſecuritatis publicae rationem, ne quidquam conſtitutum, Nuntiique ad Varſavienſem Convocationem delecti, in qua adverſarii Zamoſcii, quae in minoribus Conventibus efficere non poterant, vi atque armis, perficere ſibi propoſuerant. Convocatio Varſavienſis ab initio mox turbari coepit; Stanislaus quippe Karnkovius, quamvis

ſenex

senex iam & coecus, accusabat Regem mortuum, in Zamoscium invehebatur, & studiose conquirebat, quod debita secus, quam conditionibus & iuramento receptum fuisset, non sint soluta; quod exteri contra easdem conditiones in Regno habiti, iisque honores collati: quod de successore vivo adhuc Stephano actum sit; quod cura Prussiae Ducalis Ioanni Georgio Marchioni Brandenburgico & Electori vendita; quod quibusdam bini Magistratus contra leges dati; quod nonnullis sacerdotia aliique honores, qui legibus eos capere non possent, concessi; quod supplicium de Samuele Zborovio contra ius sumtum. Zamoscius quoque vapulavit, quod affinitatem cum Rege Stephano contraxit, eque Ducali genere uxorem habuerit, ex quo, qui orti essent, a Magistratibus & Reipublicae beneficiis antiquitus multis Legibus excludebantur. In eodem Conventu Zamoscio imperium militare aut abrogandum, aut Collegam saltem ei adiungendum, definire conabantur; Martinus tamen Lesnowolski Podlachiensis Castellanus pro Zamoscio, ringentibus & tumultuantibus adversariis respondit: scripsit & ipse Zamoscius absens ad hunc Conventum litteras, atque graves magnasque attulit absentiae suae causas, ea vero quae per factionem sibi irrogarentur, non plus auc-

toritá-

ctoritatis & valoris apud se habitura fassus est, quam quae extra Iudicium indicta causa nullo iure fierent. Adversariis Zamoscii obstabant in Senatu maxime, Andreas Opalenius Mareschalcus Regni, Albertus Baranovius Episcopus Praemislienſis & Vice Cancellarius, Ioannes Dulski Thesaurarius Regni, Stanislaus Kolkevius, & alii, qui Constitutione Sigismundi I. innixi, contendebant, nulla alia de re in Comitiis Convocationis, praeterquam de loco & die Electionis futurae, quicquam constituendum esse; adeoque dies Electionis circa finem Iunii, & locus campusque Volensis sub Varsavia assignabatur: finibus deinde Regni ac militi finitimo Nicolaus Herburtus de Fulstein Succammerarius tum Halicienſis praeficiebatur, & Iasloviecio Praefecto Stniatinensi Camieniecia tutanda tradebatur. Prussi etiam & Lithvani ediderant querelas suas, quae in Electionis Comitia reiectae. Legatos ad Conventum eum cum Caesar Rudolphus, tum frater eius Archidux Maximilianus miserant; miserat & Turcarum Imperator Machmetem Czaus, natione Hungarum, & Ludimagistrum quondam in Hungaria, qui nomine Sinam Supremi tum Bassae, cum Regis mortem doluisset ad alium Regem liberis suis suffragiis, consensu tamen Imperatoris Turcici, quod ius & ante fuisset, eligen-

eligendum Ordines Regni hortabatur. Quae res magna cum omnium offensione accepta, & nomine Ordinum Turcae responsum ac rescriptum est, Electionem in nullius alterius, quam Dei atque Ordinum Regni Magnique Ducatus Lithvaniae libera voluntate ac suffragiis, vel antea nunquam fuisse, vel nunc etiam esse. Ad Zamoscium Archiepiscopus misit Castellanum Inovladislaviensem Szupski, ut conditiones quae in Conventu Varsaviensi ab illis probatae erant, ei persvaderet; sed ad eas acceptandas nullatenus persvaderi potuit, venturum se tamen ad Comitia Electionis & suo officio non defuturum, nec ulli occasionem turbarum praebiturum respondit. Ad Comitia Electionis Gorkanorum & Zborovierum (Andreas Gorkanus erat Palatinus Posnanienſis, Ioannes Zborovius Castellanus Gnesnenſis, & Andreas Zborovius Mareschalcus Regni) factio prope 10000. adduxit armatorum. Zamoscius ipso die Comitiis supra praefixo omnibus cum copiis, ad militaris itineris rationem instructis, insimul advenit, per Varsaviam cum transiret ex itinere, primum Reginam Viduam, inde Legatum Pontificium Hannibalem de Capua Archiepiscopum Neapolitanum salutavit; mox locum castris cepit, non procul ab istis Comitiis a Mareschalco Regni Maiore, Andrea

Opali-

Opalinio, assignatum, quem vallo atque fossa communivit. Primo mox Comitiorum die & Senatus habitus, & Equestris Ordo convenit; Zamoscius vero Senatum non est ingressus, ne discordiae initium praeberet. Insuper Stanislaus Szafraniecius Palatinus Sendomirienſis, & Nicolaus Firley Castellanus Biecenſis, inter partes adversas Zboroviorum & Zamoscii mediatores constituti, nihil effecerunt, nisi ut assignarent locum Zboroviis ad Czersko, & Zamoscio ad Vilgam, & utrique parti trecentorum militum numerum praefinirent: laboratum deinde est, ut alternis vicibus in Senatum venirent. Nono demum die, postquam venerat Zamoscius, in Senatum ingressus, operam atque opes suas Reipublicae detulit, & de adversariorum iniquis sententiis iniuriisque monuit Senatum, ne illis fidem haberet. Contra munimenta a Zamoscio erecta murmuravit aliquantum Senatus, quae a se erecta & perfecta esse fassus est, non ut quenquam armis opprimeret, sed se vitamque suam defenderet illis, cum prius ab adversariis tumta essent. Altercationibus his aliquot hebdomadae extractae, & nonnulli sanguine suo Electionem hanc cruentabant: tandem res eo devenerat, ut utraeque acies ex adverso non procul tentorio consisterent, & proelium commisissent, nisi interventu Laurentii Gosti-

Goslicii Episcopi Camieniecensis, Szafranieckii Palatini Sendomirienſis, & Firley Castellani Biecenſis, diremtum, & tentorium proxima nocte incensum fuisset, quod alio in loco iussu Archiepiscopi extructum deinde fuit. Res ad tumultum (Polonis Rokosz) spectare videbatur, & iam sexta hebdomas labebatur a die Electioni Regis praefixa, neque tamen adhuc vel Legati Principum exterorum auditi, vel ulla sententia de ipsa Electione publice dicta erat. Divisa sic in partes Republica, ex indigenis eligendus fuisset Rex, si tantis exortis tumultibus par extitisset; attamen ex incolis fuere tum Candidati, Constantinus Dux de Ostrog Palatinus Kiiovienſis, & filius eius natu maior Ioannes Dux de Ostrog Palatinus Volhyniae, Simon & Alexander fratres Duces in Slucko, Radzivillii Duces in Olyka, Albertus Laski Palatinus Siradienſis, Zagniski Palatinus Posnanienſis, Tenczynius Palatinus Cracovienſis, Firley Castellanus Biecenſis, Zborowski Mareschalcus Regni & exercituum Dux generalis, ut narrat B. HARTKNOCHIVS, *ex auctore libelli* Polnische Kriegs- und Staats-Sachen, *in Republ. Polon. lib. 2. cap. 1.* Ab exteris legationes ad haec Comitia missae erant splendidissimae, & quidem a Caesare Germaniae Rudolpho; a Rege Hispaniae Philippo; a Ferdinando,

dinando, Ernesto, Maximiliano, & Matthia, Austriae Archiducibus, quorum nomine Stanislaus Pavlovius Episcopus Olomucensis, Richardus Strennius a Tieffenbach Austriae Baro, caeterique praecipue ex Silesia & Germania, Regnum poscebant. Caesareani autem nullum omnino nominatim commendabant, sed pro universa familia Austria a petebant, ut qui maxime idoneus ex ea videretur, ad Regnum vocaretur. Maximilianum autem, praeter Episcopum Olomucensem, commendabat Pontificis Romani Nuntius Hannibal de Capua: Zboroviani item & Andreas Gorkanus Moscorum Ducem: Theodorum Odonovium Lithvanorum vulgus, e primoribus pauci expetebant, quod Magnum Moscorum Ducatum Regno adiungere vellet. Non paucis quoque placuit Alexander Parmae & Placentiae Dux; frater defuncti Regis Balthasar Bathori, Roma redux, Regnum quidem aperte petere non audebat, ob invidiam nomini Stephano ab adversariis conflatam, datum tamen minime recusasset. Pro Sigismundo III Sveciae Principe stabat Vidua Regina Anna, Ioannes Zamoscius, & Martinus Leznowolski Castellanus Podlachiae. Ad Zamoscium tum Ferdinandus, tum Maximilianus, Archiduces, aliquas Epistolas cum grandissimis promissis miserunt, quibus uter-

que

que pro se Regnum efflagitabant, atque ad concordiam cum Zboroviis ineundam hortabantur, cum sine ea nec Electio utilis esse Regno, neque salus ulla sperari posset. Hoc ordine autem audiebantur Legati: primo die auditi sunt Oratores Summi Pontificis, Caesaris, Hispanici, Moschi, Transylvani & Prussiae Ducis: postero die Regis Sveciae, item Electorum Imperii Romano-Germanici, utpote Colonienſis & Moguntinensis, Palatini Rheni, Ducis Saxoniae, & Marchionis Brandenburgici. A Domo Austriaca proponebantur hae conditiones: 1.] Dignitas Familiae Austriacae. 2.) Renovatio foederis cum Turca. 3.) Subsidium octingentorum millium in Regni necessitates, e quibus ducenta statim sub ipsam Electionem, alia ducenta post Coronationem, reliqua praefinito tempore numeranda erant. 4.) Reparatio castellorum ope Caesarea contra irruptiones Turcarum. 5.) Studium componendi controversias, quae de Prussia ac Livonia Imperio Germanico cum Regno intercedebant. 6.) Ius in Barensem Rosanensemque Ducatus, & Ducatum Toggiam in Regno Neapolitano, ab Hispano obtinendum, & Poloniae adiungendum. 7.) Adolescentum quinquaginta Polonicae Lithvanicaeque gentis extra Regnum sustentatio, partim exercitiis rei militaris, partim in litterarum studiis, sumtu Impe-

ratoris alendorum. 8.) Aditus ad ordines militiae in Imperio Germanico & Hiſpania. 9.] Solutio aeris alieni a Sigiſmundo Auguſto conflati. 10.) Obſervatio libertatis publicae privataeque. A Svecicis Legatis, Erico Spario Pro-Cancellario, & Erico Brahe Comite offerebantur ſequentes conditiones: 1.) Princeps Sigiſmundus indole praeclariſſima & aetate vegeta, utpote viginti unius anni. 2.) In ipſo lingvae Svecicae, Germanicae, Italicae, & Polonicae notitia. 3.) Foedus inter duo Regna (Sveciae & Poloniae) perpetuum. 4.) Moſci perdomandi ſpes. 5.) Commerciorum ampliſſimorum utriusque regni permiſſio. 6.) Claſſis inſtructio. 7.] Tormentorum maiorum adverſus Moſcos e Svecia evectio. 8.] Condonatio cum dotis tum Legatorum Reginae Bonae, aviae maternae. 9.) Caſtellorum contra excurſiones Tartarorum in Podoliae finibus extructio. 10.] Iurium, libertatum atque immunitatum confirmatio. 11.) Pacis publicae inter Diſſidentes de Religione conſervatio. 12.) Centum millium a Regina Vidua ſolutio. Moſcus ampliſſimi ſui Imperii coniunctionem offerebat: ita tamen, ut caput rerum penes ſe nihilominus eſſe mallet. Tranſylvanici Legati recenſebant clariſſima Regis Stephani in Regnum merita, & de invidia nomini Regio ab

obtre-

obtrectatoribus conflata querebantur. Reliquorum Principum Legati pro Austriaca stabant familia, solus Zamoscius elusit spem Austriacorum & conatus Zboroviorum. Is enim postquam eum summo mane d. 19. Augusti invisisset Archiepiscopus Gnesnensis, & se ad nominandum Regem paratum esse ostendisset, renunciatis per Reinoldum Heidensteinium Legatis Ferdinandi & Maximiliani conditionibus, omnes copias suas armatas extra castra eduxit, ut praesidio Regem eligentibus essent. Idem Opalenius Mareschalcus & Thesaurarius faciebant. Archiepiscopus cum Episcopis tum praesentibus, uno Iacobo Voronecio, nominato Kijovienſi Episcopo, excepto, in tentorium venit: e Secularibus aderant Andreas Tenczynius Palatinus Cracovienſis, Albertus Łaski Palatinus Siradienſis, Petrus de Potulicze Palatinus Calisienſis, Ioannes Spławski Palatinus Inovladislavienſis. Gregorius Zielenski Palatinus Plocenſis, Stanislaus Kriski Palatinus Masoviae; Castellani plurimi, Succamerarii, Capitanei, Officiales, ex Palatinatibus Deputati, ac Civitatum Prussiae, & Livonicae Nobilitatis Legati. Lithvani nihilominus aberant, qui cum ultra Vistulam Concilium habuissent, tum temporis (finge te iam Varsaviae esse) in hanc partem traduxerant, Radziwillianis, utpote Palatino

Vilnenſi, Cardinali & Caſtellano Trocenſi; Gorkanis & Zboroviis, Auſtriacas partes maxime tuentibus. Cum mane conventum eſſet, res in meridiem extracta fuit, fruſtra expectati Lithvanis, qui publico nomine ad Electionem novi Regis invitati erant. Tum Archiepiſcopus, Gorkani & Zboroviorum oſtenſis armatis copiis, coepit dicere: "Me neque lorica, neque "ullis armis armatum videtis, conſenſu veſtro "adductus huc veni: neceſſariam operam me"am Reipublicae ſi exiſtimatis, ut utamini ea, "tempus eſt." His dictis Mareſchalcus Comitiorum Electionis, Paulus Orzechovius, Pocillator tum Chelmenſis, exquiſivit Palatinatuum ſententias, & cum interrogaſſet, an Principem Sveciae Sigiſmundum, Regem Poloniae Magnumque Ducem Lithvaniae eſſe iuberent, nomine totius Conventus, Archiepiſcopo annuente, ſub horam diei primam pomeridianam d. 9 Auguſti A. 1587. Sigiſmundum Regem Polomiae & Magnum Lithvaniae Ducem pronunciavit. In eiſdem Comitiis dies 17. [aliis 18.] Octobr. Coronationi praefixus, deſignatique Martinus Leſznowolſki Caſtellanus Podlachiae, ac Ioannes Boianowſki, qui Electum Principem e Svecia adducerent. Fama hac divulgata, alii, qui a partibus Maximiliani ſtabant, adverſae parti contradixerunt, quod nulla ipſorum

ratio-

ratione habita Regem denominaverint: hinc Maximilianum voce Iacobi Voronecii Episcopi Kiiovienſis Regem Poloniae & Magnum Ducem Lithvaniae die 12. eiuſdem Menſis Auguſti proclamarunt. & in Templo Bernardinorum in ſuburbio ſacra faciente Radziwiłłio Cardinale, hymnum ſolitum decantarunt. Deſignati quoque ſunt Legati ad Archiducem Electum, qui Olomucii in Moravia tum degebat, Epiſcopus Kiiovienſis, Ioannes Zborovius Caſtellanus Gneſnenſis & Alexander Pruſki. Haec dum fiebant, Zamoſcius per medias adverſariorum ſtationes, potu ſomnoque graves, ac flagris exceptas ad tutandum Cracoviam eiuſque arcem properavit, ubi Palatinus Cracovienſis, & Nicolaus Zebrzydovius arcis praefectus, morabantur. Exeunte Septembri Sigiſmundus in portum Gedanenſem appulit, iſthic ab Hieronymo Rozrazevio Vladislavienſi, & Alberto Baranovio Praemislienſi, Epiſcopis, ſalutatus, praeſentibus plurimis aliis Senatoribus. Die prima Octobris in Templo Monaſterii Olivenſis pacta Conventa juramento confirmavit, ac Diploma Electionis accepit, inde Cracoviam profectus. Deinde d. 8 Octobris in Conventu Generali ad Viſliciam in agro Villae Rocinenſis Electio Sigiſmundi III. corroborata & confirmata eſt. Interea Maximilianus Cracoviam

viam expugnare coepit, quam Zamoscius, castris ad Cleopardiam positis, tutabatur, & iam in Suburbii partem, cui Coriariorum frequentia nomen dedit, subrepserat hostis, quem Zamoscius igne iniecto inde summovit, universo suburbio atque in eo Carmelitarum Monasterio in cineres redacto. Maximilianus deinde vires fortunamque suam aperto Marte experiri ausus in aciem cum Zamoscio descendit, in qua cataphracti eius milites submoti, & reliquae Germanorum copiae, relictis impedimentis & signis compluribus, campo cessere. Post dies aliquot Sigismundus Cracoviam inter solemnia triumphorum ingressus, a Laurentio Goslicio Episcopo Camieniecensi, & Ioanne Zamoscio Duce Copiarum, in altera Urbis parte salutatus est. Post festivitatem peractam Estonia, Provincia Livoniae contermina, erat materia litis, quam Poloni Regno suo adiicere volebant, ut in conditionibus a Legatis Svecicis promissam; quod cum iidem negarent, controversia ad commodius tempus fuit dilata. Die 27. Decembr. A 1587. Rex Sigismundus solenniter a Stanislao Karnkovio Archiepiscopo Gnesnensi inauguratus est. Recesserat Maximilianus cum milite armato in Silesiam, quem Zamoscius, suppetiis Transylvanicis adiutus, sequi statuit. Proelium die 25. Ian. An. 1588. ad Byczinam

(olim

[olim ob Episcopalem sedem, antequam ea Vratislaviam deferretur, celebre oppidum] ab utraque parte instructum, in quo primum dubio Marte decertatum, mox confusione inter milites facta, Hungari, quos in exercitu habuit Maximilianus, fugam circumspicere coeperunt. Ipse Archidux vitae suae metuens, Byczinam refugit, qua cum Zamoscium sequi videret, Caduceatorem ad eum misit, monentem, ne Provinciam & amicitiam Caesareanam violaret, atq; triduanas inducias Maximiliano permitteret. Zamoscius haec nihil moratus, Oppidi moenia machinis bellicis, quas post proelium Archiduci eripuerat, qvatere coepit, atrocissima quaeque minans, nisi Oppidani sese dederent. Missis postea Consiliariis, de libertate sua paciscI ordiebatur Maximilianus, aut, si ea negaretur, ut Byczinae saltem custodiretur, postulabat; tandem post multas cunctationes, sponte exeuntem Archiducem Zamoscius honorifica oratione veneratus, in tentorium suum manu duxit; atque in Poloniam Krasnostaviam, Lublino non procul distans Oppidum, deduxit. Capti tum simul sunt, Voronecius Episcopus Kiioviensis, Mareschalcus Curiae Andreas Zborovius, Comes de Gorka, Alexander Dux Prunski, & alii non pauci e Nobilitate Polonica, quos ad lares dimisit. Zboroviani effracto arcis, in qua

Maximilianus custodiebatur, pariete, noctu illum educere studuere; sed dolum hunc Marci Sobieścii Regni Vexilliferi, & custodiae capti Archiducis Praefecti, vigilantia elusit. Deinde interceſſerat Caesar Rudolphus per Hyppolitum Aldrobandinum Pontificis Legatum apud Regem Sigismundum pro fratre captivo, atque conditiones Regni Proceribus offerebat, quae res in Comitia fuit reiecta, sequenti A. 1589. Varsaviae habita, in quibus Pontificis Romani, Imperatoris, aliorumque Principum Legati, dimissionem Archiducis petebant, iniuriarum inter Polonos & Austriacos ortarum oblivionem urgebant, ac antiquorum foederum redintegrationem sollicitabant. Andreae Zborovio Mareschalci dignitas in iisdem Comitiis ademta, Stanislao Przyemscio data: reliquis Polonis Rex veniam dedit, & Maximilianum e custodia dimisit, quem in fines Silesiae Episcopus Camieniecenſis Goslicius, & Nicolaus Zebrzydovius Praefectus Cracovienſis, deduxere, & Melchiori Redero Copiarum Caesareanarum Duci tradiderunt. Vid MART. BIELSKI *lib. ult. Chron. Polon.* PAVLVS PIASECIVS Episcopus Praemisliensis, *in Chronicis gestorum in Europa singularium ad An.* 1587. *fol.* 64. --- 80. *Constitutiones Statuta & Privilegia Regni Poloniae fol.* 399. --- 454. REINOLD. HEIDEN-

DENSTEINIVS *lib. 8. per tot. Rer. Polon. & lib. 9. init. fol. 241. seq.* & IOACH PASTORIVS *in Flor Polon. lib. 5. pag. 312. - - 326.*

§. XIII. Duodecimi Interregni nullam supra e B. HARTKNOCHIO mentionem fecimus, quia fuit pacatissimum: minime tamen oleum & operam perdituros nos esse confidimus, si eius initium, progressum & egressum accuratius ex Historia Polonica dabimus. Post mortem Sigismundi III. A. 1632. d. 30. April. Varsaviae mortui, Ioannes Wężyk Archiepiscopus Gnesnensis consiliorum publicorum dirigendorum deliberatione cum praesentibus tum temporis Senatoribus instituta, & de securitate Interregni stabilienda, sub nominis sui titulo publicavit edictum, quo Regis mortem omnibus Regni Ordinibus denunciavit, quod fit non modo ob Iudicia Terrestria, sed & Tribunalitia, quae non solent a litibus dirimendis cessare, donec mors Regis a Primate Regni fuerit denunciata, adeo, ut illo tempore Lublinense Tribunal in carceres talis mortis denunciatores curaverit detrudendos, & Iudicia sua ad octavum post diem continuaverit, donec mors Regis ab Archiepiscopo fuit significata. Eodem edicto praefinivit Primas Regni Conventibus Particularibus diem 3. Iunii, & Convocationi Generali diem 27. eiusdem mensis: locus

designatus Varsavia, ut ibidem Nuntii Terrestres congregati, de loco & die Electionis novi Regis deliberarent, securitatem interim in confiniis Regni providerent, & mutuam inter se concordiam foverent. Praeter omnium spem quieta erant omnia, & vani deprehendebantur metus, quos de Gustavo Adolpho Rege Sveciae, victricia tum arma in Pomerania, Marchia & Silesia circumferente, nonnulli sibi finxerant, Regemque Poloniae nominare volebant. Cum Palatinus Siradiensis Ioannes Baranowski in Conventu Sadzensi in dicenda sententia de Rege Sveciae animos Nobilium explorare tentasset, introducto sermone de libertate Regem externum eligendi, asperiori responso & fremitu universae Nobilitatis exceptus, & prope manibus petitus fuit, nisi prope ex illo Consessu erupisset. In Convocatione Generali die supra praefinito celebrata, a sacris cum esset factum initium, Nuncii Terrestres in Conclavi suo, cum ordo ea vice ad Lithvanos pervenisset, Mareschalcum Convocationis Comitiorum, Ducem Christophorum Radziwillium, supremum militiae Lithvanicae Praefectum, & Reformatae Religionis Confessorem, elegerunt. In sequenti die 28. Iunij constitutum fuit, ut securitati publicae, durante Interregno, domi & foris provideretur; ut locus & tem-

& tempus, quo omnes Nobiles ad Electionem novi Regis venirent, assignaretur; ut omnia quae Rempublicam premerent, in Conventu Electionis Generali examinarentur ac abrogarentur. Postea tam ex Senatorio quam Equestri Ordine, consiliis mutuo collatis, plurimae Legum formulae conscribebantur: alii circa invenienda remedia laborarunt, quibus querimoniae Nobilium contra Sacerdotalem Ordinem a multo tempore agitatae componerentur; sed & hae ad futura Electionis Comitia devolvebantur definiendae. Dissidentes in Religione, non contenti veteri forma verborum, post Sigismundum Augustum, Henricum & Stephanum Reges in edictis usitata: Pacem inter Dissidentes de Religione tuebimur, publice praesentarunt viginti articulos, ex quibus praecipui erant: 1.) Vt in omnibus Regni Civitatibus aeque Nobilibus ac plebeiis publicum exercitium diversarum Religionum concederetur. 2.) Vt Principum mandata atque Iudicum decreta tali exercitio contraria rescinderentur. 3.) Vt poenae severiores contra violatores libertatis religiosae sancirentur. 4.) Vt ad Magistratus gerendos in Civitatibus Regiis aeque diversarum Religionum Confessores atque Catholici promoverentur. 5.) Vt in Aula Regia certa officia, quae nonnisi aliquis ex Religione Dissi-

denti-

dentium administrare posset, instituerentur. 6.] Vt haec & alia circa inaugurationem novi Regis lege publica stabilirentur. Quibus omnibus masculе se opponebant non solum Ecclesiastici, sed omnes militares viri, iisque in Aula Archiepiscopi responsum, quod Religio Catholica in Regno Poloniae sit avita, in cuius praeiudicium aliae Religiones non possint introduci, nec dilatari; interim in cuiusque Nobilis proprio fundo securitatem exercitii Religionis liberi esse admittendam. Graeci quoque ritus homines multis querelis obtestabantur, quod a Catholicis opprimerentur, & contra datam fidem possessione aliqua turbarentur. Postea Prussiae Ducis legatio ad Ordines Regni & Equestris Ordinis accessit, quia Elector Brandenburgicus & Regni Fiduciarius Georgius Wilhelmus expostulabat, quod ad Convocationem Generalem non fuerit vocatus, cum tamen ad Consilia Regni ut Civis Reipublicae Polonae pertineret, hocque ipsum sit expressum a Sigismundo I in Diplomate Alberto Prussiae Duci concesso: eadem legatione petebat, ut conditiones feudi seu fiduciae graviores Respublica moderaretur, & lites componeret ratione confinium a Praefectura Draheimensi cum Pomerania Ducali exortas: deinde offerebat Reipublicae operam suam pro tractanda cum Rege Sve-

Sveciae Gustavo Adolpho pace. Cui legationi responsum erat: tria priora postulationum puncta ad decisionem futuri Regnantis esse remittenda, attamen pro officio ad tractandam pacem cum Rege Sveciae oblato gratiae actae sunt, & pacificatio tempori commodiori reservata est. Hanc excepit nova legatio a Duce Curlandiae Friderico missa, qua fratris Wilhelmi, ob necem Magni Noldii A. 1613. Mitavii occisi & octo annorum exulis, restitutio in pristinum gradum petebatur; quae etiam circa inaugurationem novi Regis promissa est, in primis quod Fridericus egregiam operam in bello Livonico Reipublicae saepius navasset. Tertia deinde advenerat legatio e castris militum, qui Nuncios suos ad danda suffragia in Electione Regis admitti, & dignam meritorum suorum mercedem efflagitabant; quibus responsum, militibus, dum stipendia Reipublicae merentur, ius suffragii in Electione Regis non esse concessum, sed nec omnino denegandum, si autoramento militiae solutus Nobilis, ex Palatinatu suo ad Electionem veniret. Cosaci quoque Zaporoviani legatione sua ius suffragii itidem in Electione novi Regis, Religionis Graecae immunitatem, & stipendiorum solutionem postulabant: quibus severius responsum, quod Cosaci ex plebe collecti nullas partes habeant in com-

in consiliis publicis & Regis Electione, quae soli Senatui & Ordini Equestri competerent; merita tamen ipsorum, ac Religionis Graecae rationem Ordinibus curae futuram, dummodo ipsi in fide Reipublicae & obsequio Praefecti militiae Generalis (qui tum erat Stanislaus Koniecpolski Palatinus Sendomirienſis) permanerent. Insuper cum Rex defunctus filio suo Ioanni Alberto Episcopatum Cracovienſem post mortem Andreae Lipski, assentientibus Regni Ordinibus, contulisset, & neque ad Pontificem Romanum, neque ad Collegium Cracovienſe Cathedrale, hac de re, morte praepeditus, dedisset litteras, deliberatum est, an sede Regia vacante Senatus tales litteras dare posset: ac post multas rationes stetit concors sententia, quod posset, idque postea ab Archiepiscopo factum est, licet alias tempore Interregni Respublica vacantes dignitates distribuere non possit. Hinc sub Interregno post Regem Stephanum cum Episcopatus Luceorienſis vacasset, Senatus ac Ordines eum Bernardo Macieiowski non contulerunt, sed a Rege Electo Sigismundo eidem conferendum petierunt, id quod deinceps factum est. Disceptabatur quoque in Convocatione hac Generali, num Regis defuncti familiae ex aerario publico alendae essent; atque alendas esse censuerunt Ordines. Ma-

reschal-

reſchalci itidem jurisdictio ſub Interregno circumſcripta fuit, hic enim cum crimina omnia, quae in Aula Regis, Conventibus Generalibus, & ſub tempus Electionis patrantur, ſolus judicare ſoleat, ab Ordinibus fuit concluſum, ut talia Iudicia Mareſchalcus ſub Electione denuo juratus tractaret, ac ad ea exercenda Mareſchalci Poloniae & Lithvaniae, una cum certo Senatorum & Nobilium numero deputarentur. Archiepiſcopo quoque additi ſunt Conſiliarii ex Senatu, (quos Stanislaus Karnkovius ſub diſceſſu Regis Sigiſmundi in Sveciam adiungi ſibi non permiſit) ut iis ad Conſilia pro negotiis Interregni uteretur. Tandem dies 27 Septembr. futurae Electioni, & locus penes Varſaviam circa villas Wola & Powązki denominatus eſt. Poſt haec in ſingulis Terris Conventus Particulares ſunt habiti, in quibus 1.] acta & placita Convocationis Generalis referebant Nuncii. 2.) Eligebantur Iudices, qui durante Interregno cauſas, ſecuritatem publicam & privatam attinentes, cognoſcerent, & violatores legum divinarum & patriarum, pro gravitate delicti punirent. 3.] Deſignabantur Quaeſtores pro pecuniis publicis colligendis & diſpenſandis. 4.) Tribuni deligebantur, qui militibus ad defenſionem Regni delectis praeeſſent, Atque erat hoc quidem Interregnum paca-

pacatissimum, nisi quod Iudices dictatoream potestatem usurparent, & milites Regias & Ecclesiasticas possessiones expilarent. Tempore Electionis adventante, frequens Nobilitas concurrit Varsaviam. Hic Archiepiscopus Gnesnensis sacra fecit in Templo Ioannitico, omnes deinde processerunt ad campum Electoralem, vallo & fossa in speciem castrorum circumductum: postquam tota concio sub tentorio, columnis ligneis subnixo & tabulis tecto, consedisset, inde mox Equestris Ordo secessit, ac post aliquot dierum altercationes Mareschalcum Iacobum Sobieski Inciforem Regni elegit, cui adiuncti sunt viri ex utroque Ordine, & utriusque Gentis Mareschalci, qui iterato iurantes Iudicia recte administrare debuerunt. His expeditis, & Ordine Equestri separato, Electionem Regis Ordines nolebant tractari, nisi super eis, quae gravabant Rempublicam, prius decerneretur. Primum cum Dissidentibus in Religione acriter contendebatur, qui maiora sacrorum suorum stabilimenta requirebant, quin Catholici svadebant non pauci, nihil ipsis penitus concedendum, sed armis ad officium reducendos, nec haeresim advenam (ita vocabant) precario in Regno Poloniae degentem ab antiquioribus Dominis admittendam esse, inprimis cum quindecem millia armatorum haberent,

Dux

Dux Radziwiłłius vero Lithvanicae militiae Praefectus, & Raphael Leszczyński Palatinus Belzensis, Dissidentium Antesignani, quinque tantum millia a partibus suis armata numerarent: consensum tandem est, interponente se Vladislao Principe, in formulam securitatis seu liberi Religionis exercitii, Conventu superiori approbatam. Eodem arbitrio & Graecae Religionis hominibus ritus Russicos exercendi indulta est. Male tum habuit Senatores & EquestremOrdinem, [qvamvis Primores quique eidem obviam processerint] quod Vladislaus Varsaviae moraretur, unde legem postea sanxerunt, ne ullus Principum Candidatorum Regiorum in Electionis loco praesens adesset. Ecclesiastici qverelis Nobilium satisfacientes, responderunt, controversiam ad Sedem Apostolicam, a qua toti dependerent, remittendam esse, ita, ut novus Rex apud illam Sedem Equestris Ordinis postulata huiusmodi promoveret, & qvicqvid ab illa statueretur, id ratum firmumque foret. Tempus etiam praescriptionum in causis fundi Ecclesiae annorum sexaginta praefiniverunt. De moneta Regni ad iustum valorem reducenda, nullus potuit inveniri modus, durantibus bellis, & vicinis circumquaque viles nummos cudentibus: interim lege publica praecaverunt Ordines, & ius signan-

dae pecuniae penes Rempublicam maneret, & futura Comitia de illius qualitate & quantitate rationes inirent. Beneficiorum quoque in bene meritos conferendorum modus praescribi non potuit, cum illa ex aequanimitate & iustitia distribuentis, in Polonia distribuantur iis in primis, qui legationibus ad exteros Principes Regis aut Reipublicae nomine perfuncti sunt, qui sunt milites bene emeriti, damnumve in bello passi, qui sunt Aulae Regiae Ministri. In corrigendis Legibus nihil tum temporis praestitum est. His ita peractis, Legationes auditae sunt, & quidem Regis defuncti quatuor filii, Ioannes Casimirus, Ioannes Albertus, Carolus, Alexander, fratri suo natu maximo Vladislao, Sigismundo in carcere [in quem Ericus frater Ioannis patrem eius cum matre coniecerat] nato, sceptrum Poloniae dari petebant. Ipsorum Legati erant Henricus Firley Episcopus Przemislienſis, Georgius Ossolinski Praefectus Aerarii minor, & Sigismundus Kazanowski, quos Episcopus Vladislavienſis Matthias Lubienski nomine Senatus cum omnium Procerum turmis militaribus ab Arce ad locum Comitiorum deductos, in coronam introduxit, Principibusque pone levam sellae Archiepiscopalis, eorum vero Legatis inter Mareschalcos locum dedit. Tum silentio facto, Princeps Ioannes Casi-

Casimirus polonica Oratione, quam PAVLVS PIASECIVS latinam reddidit, ita peroravit: "Ego ac fratres mei in sinu istius Reipublicae, "communis vobiscum parentis, nati, enutriti, ei-"dem almae nostrae matri non nisi felicissima" quaeque precamur, & pro salute ipsius vitam" nostram devovemus; fratrem quoq; nostrum" Sereniſſimum Principem Vladislaum, eodem" animo in hanc Rempublicam semper fuisse, ta-" lisque propensionis suae experimenta clara" iam dedisse, nemo inficiabitur atque ideo eum," quem commoda & incrementa eiusdem Rei-" publicae probe curaturum certo scimus, ad" Regni istius fastigium promoveri desideramus," hocque ab omnibus vobis Ordinibus expeti-" mus, quibus pro singulari eiusdem Sereniſſi-" mi fratris nostri in singulos vestrum grata be-" neficaque voluntate, vades obsidesque nosmet" ipsos offerimus." Sermonem hunc continuavit deinde Episcopus Przemislienſis, & adiecit, quod quantumvis liberae Polonorum Genti Reges non dominentur, sed praesint; nec nascantur, sed per libera Ordinum suffragia eligantur: innatum tamen ei semper fuisse talem erga Regium sangvinem observantiam, ut nunquam prolem superstitem Regiam in eligendo novo Rege praeteriverit, imo eam semper omnibus aliis competitoribus praetulerit. Enumeravit

porro merita & gratam memoriam Domus Iagellonicae, ex qua per lineam maternam isti Principes descendunt, Sigismundi patris in Rempublicam recentia amoris signa, ipsiusmet Vladislai Principis magnam liberalitatem & alias laudes, recuperatum item a Moscis per ipsum Ducatum Severiae, & Osmannum Turcarum Imperatorem ad Chocimum repressum recensuit. Vtrique Archiepiscopus Gnesnensis nomine Senatus respondit, Ordinem Senatorium cum Equestri Regis Sigismundi III. inclytae memoriae glorioſas virtutes toto orbe celeberrimas, & cumprimis Sereniſſimi Principis Vladislai in Rempublicam insignia merita diffiteri non posse, patrium quoque morem colendi Regiam progeniem non ignorare, eumque sequi velle tanto magis, quod parentum virtutes in filiis veneretur, speretque fore, ut illi vestigia illorum imitaturi sint: ceterum cum praescriptus Electionis modus expoſcat, ut non nisi collatis suffragiis & unanimi consensu de eligendo Rege Ordines decernant, ista necessario praecedere debere addidit, in eis tamen dignitatis Sereniſſimi Vladislai, interceſſionisque Sereniſſimorum Principum aequam rationem habendam fore conciuſit. Idem responsum tulerunt ab Equestris Ordinis Mareschalco, atque Principes, consurgentibus omnibus, ex conſeſſu in arcem redu-

reducti sunt. Postero die auditus est Legatus & Nuncius Apostolicus Pontificis Romani Vrbani VIII Honoratus ViceComes, qui Regno Vladislaum commendabat, cui & Archiepiscopus & Mareschalcus Comitiorum responsum dederunt, deliberationem de Regis nominatione non nisi exploratis singulorum voluntatibus expediri solere, curaturos tamen Ordines, ut Regem eligant, qui Apostolicae Sedi placeat. Tertio die audiri debuit Legatus Regis Sveciae Gustavi Adolphi, Steno Bielke, cum Vlrico, Rigensi quondam Syndico; at quia podagrae morbo correptus erat, in alium diem dilata est legatio. Interea Ferdinandi II. Imperatoris Germanici Orator Vladislaum Principem, arctioris sangvinis vinculo Caesari coniunctissimum, Ordinibus commendavit. Legati deinde Svecici in Senatum ingressi, inter Mareschalcos utriusque gentis considentes, litteras fidei primum exhibuerunt, in quarum titulo ad Ordines additum fuit: *Respective amicis*, quod animos Ordinum non nihil commovit, mox tamen & sedavit contemtus Svecorum fastus. Porro persvadebant Reipublicae, ut ex Regis Sigismundi filiis Regem non eligerent, nisi prius haereditati Regni Sveciae renunciaret, pacemque aeternam cum regno iniret. Responsum est eis, Rempublicam a pace iusta & hone-

sta non abhorrere, & circa Electionem Regis ea, quae ad Regni salutem spectarent, curare velle. Cum Brandenburgicis Legatis expostulabatur acrius, Ducique Prussiae exprobrabatur, quod Svecum in Borussiam adduxerit, eumque armis, pecuniis & commeatu iuverit; ideo Legati ex Circulo Ordinis Equestris exire coacti, de iniuria Duci suo illata querebantur, sed res intra verba tantum substitit. Gedanensis quoque Civitatis Oratoribus fuit concessum, ut aeque ac Cracovienses & Vilnenses Legati ius suffragii in Electione Regis haberent. Conditiones denique per Deputatos utriusque Gentis futuro Regnanti conscribebantur, & ab omnibus deinde examinabantur. Quibus finitis, in genua procumbentes, hymnum: Veni Creator Spiritus! praeeunte Archiepiscopo cecinerunt, eoque decantato, in Palatinatus suos discesserunt, solo Primate Regni loco se non movente. Cum nullum appareret contrariarum voluntatum vestigium, & ab omnibus Princeps Sveciae esset electus Vladislaus, Archiepiscopus eundem Poloniae Regem & Magnum Ducem Lithvaniae denominavit, quem etiam Mareschalci altiori voce promulgarunt. Rex Electus, post decantatum Ambrosii & Augustini hymnum, ad altare in Templo Ioannis Baptistae Varsaviae iuravit, ibidemque Decretum Electionis ab Archiepiscopo accepit, & ad Principes

cipes

cipes exteros, scriptis litteris, suscептum honorem iis significavit. Cracoviae, curato prius patris funere, & comitantibus fratribus, Anno 1633. d. 16. Febr. ab *f.* Archiepiscopo Gnesnensi Ioanne Wężyk coronatus est. Vid. PAVLVS PIASECIVS, Episcopus Praemislienſis, *in Chron. gestor. in Europ. singular. ad A.* 1632. *fol.* 526.--545. STANISLAVS KOBIERZYCKI Castellanus Gedanensis, postea Palatinus Pomeraniae, *in Histor. Vladisl. Princip. quam* XI. *libris descripsit. Diarium vel Acta Electionis Vladislai IV. in fol.* & IOACHIM. PASTORIVS *in Flor. Polon. pag.* 422.--425.

§. XIV. Post fata Vladislai IV. qui An. XVI. Regni & Aetatis LIII. Mereciae, Oppido Lithvanico d. 15. Maii A. 1648. naturali morbo obiit, Matthias Lubienski Archiepiscopus Gnesnensis Conventus Terrarum ad diem 25. Iunii indixit, & Ordines Varsaviam ad diem 6. Iulii convocavit, orbaeque & magnis cladibus obrutae Reipublicae vulnera exposuit, qui Ieremiam Wiesniovieciun Ducem bello adversus Cosacos & Tartaros gerendo praefici optaverat, sed praevaluit eorum sententia, qui Dominicum Ducem Zaslavienſem, Nicolaum Ostrorog Pocillatorem Regni, & Alexandrum Koniecpolski Regni Vexilliferum, Duces praedicti

dicti belli deligebant, eisque Magnates passim & Palatinatus singuli copias splendide instructas submiserant. Discordia tamen Ducum, qui regere omnes quam obsequi malebant, fortunatum belli eventum invertit; exercitus enim Polonus e castris Pilunensibus dilapsus, Zamosciam usque progrediendi viam hostibus aperuit, quae tamen Civitas, & in ea praesidiarii, Cosacorum & Tartarorum hostiles conatus stiterunt. Cum vero rumor, quasi sexaginta millia Tartarorum adventarent, esset divulgatus, Cosaci, qui iam fugam parabant, sumta audacia & excursionibus factis, omnes illas Russiae regiones versus Leopolim, Zamosciam, Crasnostavium, Breiciam Lithvaniae, Przemisliam, Iaroslaviamque, caedibus, incendiis, rapinis, praedisque agendis, miserabiliter vastarunt. In praedicta Convocatione Generali munus Mareschalci inter Nuncios Equestris Ordinis obiit Boguslaus Leszczynski, Generalis Maioris Poloniae Praefectus, concordibusque sententiis tempus Electionis novi Regis ad mensem proximum Octobr. indictum fuit, ac eo reiecta controversiarum moderatione inter Status & Religiones, omnibus pace Interregni tunc sancita, aequaliter gaudere permittebatur. In primis de motibus belli in Russia exortis, illorumque compositione, multa agitabantur consilia. Prohibe-

hibebantur quoque Duces exercituum, ne militem ad locum Electionis ducerent. Inter tanta Reipublicae discrimina, Electio etiam ipsa non caruit difficultate, cum ut nihil non in Regno turbaret discordia, fratres etiam Regios commisisset. Duo ex Sigismundi III. filiis superarant, (nam Vladislaus ex priore uxore Anna Caroli Austriae Archiducis filia natus, mortuus iam erat; Ioannes Albertus Romanae Ecclesiae Cardinalis Paduae A. 1634. anno aetatis 21. & Alexander Carolus A. 1635. ex altera uxore Constantia prioris sorore geniti obierunt) Ioannes Casimirus & Carolus Ferdinandus Episcopus Plocensis & deinde Vratislaviensis A. 1655. mortuus; uterque magnis suorum studiis suffultus suspensam tenebat Rempublicam. Ioannes tamen Casimirus, fratre Carolo ultro cedente, sceptrum in Comitiis Electionis A. 1648. obtinuit. Natus ille erat A. 1609. d. 22. Martii, in iuventute sua belli peritia exercitatus, & castra Martis sequutus, cum A. 1638. Genuam iret, indeque in Hispaniam transfretaret, & Marsiliam praeternavigando, in littus Gallicum ad refocillandum a taedio & aestu marino debilitatas vires descendisset, d. 9. Maii a Praefecto arcis maritimae Tur de Buc dictae cum Comitatu suo fuit detentus, abductusque ad Arcem Salona, & deinde

Citheronem, ubi sub custodiis arctioribus, quibus ipsemet stipendia solvere cogebatur, prope biennio haesit. Galli obiiciebant, quod militaverit Imperatori Ferdinando II. in Germania contra Regem Galliae Ludovicum XIII. & quod nuper irruptio Polonorum in Picardiam facta sit. Intercedebat quidem pro dimissione Ioannis Casimiri ipse Pontifex Romanus Vrbanus VIII. & ipse Rex Vladislaus IV. frater, sed intercessiones sine fructu abierunt, donec in Galliam missus Legatus Christophorus Gąsiewski Palatinus Smolenscensis eum in Poloniam A. 1640. reduxit, praestita nomine Regis & Ordinum Regni Poloniae cautione, de iniuria hac Ioanni Casimiro illata nullo modo vindicanda. Idem Casimirus A. 1643. sub finem Septembr. Loretum in Italia, & inde Romam profectus, vitam monasticam, inconsulto fratre Vladislao & ideo exacerbato, in regula Societatis Iesu amplexus est, biennioque probationis finito, cum perseverantiam in illo statu profiteri vellet, Innocentius X. Papa non permisit, sed eum Cardinalem Romanae Ecclesiae renunciavit. E Cardinalatu Poloni atque Lithvani Ioannem Casimirum elegerunt Regem Poloniae & Magnum Ducem Lithvaniae, qui a Matthia Lubienski A. 1649. d. 17. Ianuarii Cracoviae coronatus est, ducta d. 4. Martii fratris

sui

sui Vladislai uxore Maria Louysa seu Ludovica, Caroli Niverniae Mantuae ac Montisferrati Ducis filia, adeo ut inter singularia rerum polonicarum recenseri mereatur, quod parens Vladislai & Ioannis Casimiri, Sigismundus III. duas successive habuerit in matrimonio sorores, & duo praedicti eius filii unam duxerint uxorem. Infinitis propemodum bellis implicitus, A. 1668. d. 16. Septembr. in Comitiis Varsaviensibus Diplomata Electionis & Coronationis rubro involuta serico, Reipublicae. a qua ante viginti fere annos acceperat, reddidit, Regnoque, accepta annuatim centum quinquaginta millium florenorum provisione, valedixit, & in Galliam discessit, ubi animam intra quadriennium A. 1672. d. 16. Decembr. exhalavit. Conf. PAVLVS PIASECIVS *Chron. gestor. in Europa singular. fol.* 606. 607. NICOLAVS DE CHWAŁKOWO CHWAŁKOWSKI *in Iur. Publ. Regn. Polon. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 4. IOACH. PASTORIVS *in Flor. Polon. lib.* 4. *pag.* 489. *seqq.* CHRISTOPH. HARTKNOCHIVS *in Republ. Polon. lib.* 1. *cap.* 2. *& lib.* 2. *cap.* 1. *Diarium seu Acta Electionis Casimiri in fol.*

§. XV. Decimum quartum vidit Interregnum Respublica Polona, quando Io. Casimirus Regni fasces deposuit. Illo autem tempore,

pore, cum in Poloniam Cosaci, Mosci, Tartari, Sveci, Brandenburgo-Marchici, Transylvani, totis viribus incumberent, ipse Rex Anno 1668. abdicavit se Regno, atque a Prazmovio Archiepiscopo Gnesnensi itemque Republica conclusum est, ut per Constitutionem sub titulo Abdicationis, omnes Actus abdicatorii Ioannis Casimiri Legum volumini insererentur. Ipse Ioannes Casimirus in Reversalibus, post abdicationem Reipublicae datis, promisit, se remotius ab actu & loco Electionis, durante eodem, mansurum Confoederatio Generalis deinde sequuta, simulque Electioni Regis novi dies 2. Maii A. 1669. praefixus. Candidati tum erant in hac Electione ex indigenis Ioannes Comes de Odrowąż Pieniązek Capitaneus Oswiecimensis, qui 610. pro se habuit calculos: Felix Potocki Subdapifer Regni, deinde Palatinus Siradiensis, pro quo 881. vota militabant: habuit etiam illo tempore pro se aliquot suffragia Illustrissimus & Celsissimus Princeps Boguslaus Radziwiłł Dux Birsarum Dubinkorum, Stuciae & Copiliae &c. Electus vero tunc est Rex incola Serenissimus Michael Coributhus Dux in Wiesniowiec, a Iagellonica familia ultimus. Rationes, quas ANDREAS OLSZOWSKI *in Censura Candidatorum. A.* 1669. edita, pro Rege eligendo incola protu-

protulit, erant sequentes. 1.) Deus ipse Iudaeis mandavit Deuter. XVII, 15. non poteris alterius gentis hominem facere Regem, qui sit frater tuus. 2.) Bruta quoque a dispare non reguntur. 3.) Indicium est nimis abiectorum ingeniorum, non admittere e gente sua eum, qui regere possit. 4.) In Germania incola eligitur Imperator, neque in aliis Regnis alius mos. 5.) Piastus morum Polonicorum maxime gnarus est. 6.) Indigenae certior fides est, quam alienigenae. 7.) Exteri a Magistratibus & dignitatibus excluduntur in Polonia, quidni etiam a Regno. Vid. B HARTKNOCHIVS *in Republ. Polon lib. 2. cap. 1. num. 14. & Diarium Europaeum continuat. 19. pag 254. seq.* In Comitiis Electionis praedicto die & mense more solito inchoatis, magno negotio vix tertio Idus Maii Mareschalcus Equestris Ordinis electus est, Lithvanis maxime adversantibus, quod a Ioanne Casimiro campiductoralis clava Michaeli Radziwillio Pro-Cancellario Magni Ducatus Lithvaniae contra vota Paceanae Domus fuerit collata, vincentibus tamen suffragiis Felix Potocki Subdapifer Regni in Mareschalcum electus est. Integra posthac hebdomas inter concertationes de iuramento a ceteris Equitibus praestando elapsa est, tandemque tertio Calendas Maii, qui in diem Saturni

turni inciderat, post redditam Senatoribus, seu ut vulgo vocant ſtarſzym Bratom, ſenioribus fratribus, ab Equeſtri Ordine more Mareſchalci ſui ſalutationem, reliqui Senatores & Equites, qui in Convocatione Generali Regni non iurarunt, iuramentum praeſtiterunt coram Deputatis tam ex Senatoris Ordine ab Archiepiſcopo Gneſnenſi, quam ex Equeſtri Ordine a Mareſchalco aſſignatis. CASIMIRVS ZAWACKI, Capitaneus Pucenſis, & deinde Caſtellanus Elbingenſis, *in gloria Orbi Sarmatico conſenſu monſtrata, ſeu in Actis diurnis Electoralis campi huius Interregni*, refert, multos vidiſſe, quod 4. Calendas Maii imago Virginis Mariae, quae ante portam Cathedralis Templi Varſavienſis affixa erat, fleverit. Idem quoque AVCTOR *loc. cit.* narrat, quod, dum aedificaretur Szopa, columba nivea per duas hebdomadas volitaverit, dictaeque ſtructurae mane & veſperi inſederit, nec ullo fabrorum lignariorum ſtrepitu vel clamore hominum & bombardarum diſploſione abigi potuerit, opere vero perfecto amplius non comparuerit. Quinto Calendas Maii in tentorio Equeſtris Ordo ſalutavit Senatorium, audivitque litteras Magni Turcarum Caeſaris, item Magni Ducis Moſcorum, & Magni Tartarorum Chan, quatuor fere horarum ſpatio lectas. Sexto Calendas Maii

ad Ca-

ad Capturalia Iudicia ab Archiepiſcopo tres Senatores Caſtellani, & ab Equeſtri Ordine quatuor, ex ſingulis gentibus deputati ſunt. Lites deinde inter Warſzicium Caſtellanum Cracovienſem, & Oborſcium Caſtellanum Varſavienſem ortae, a Iudiciis Capturalibus iudicatae & compoſitae ſunt. Diſputatum porro eſt, an Oratores exterorum Principum prius eſſent audiendae? an vero exorbitantiae Regni deciendae? Poſterior autem ſententia ex egregia Zarembae Iudicis Sendomirienſis oratione ſtetit, publice profitentis, Electionem Principis, non ſublatis oxorbitantiis, eſſe auctoramentum ſervitutis. Die 28. Maii lectus a Mareſchalco conceptus caſſationis Decreti in Lubomirſcium adhuc a Ioanne Caſimiro ſlati, rogatusque Archiepiſcopus, ut ex Senatu deputaret nonnullos, quemadmodum iam a Mareſchalco Equeſtri ex ſingulis Palatinatibus bini, & ex ſingulis Terris ſinguli Deputati erant, qui exorbitantiis Reipublicae mederentur. Miſſi inſuper ab Equeſtri Ordine Oratores, Nicolaus Penkoslavius, Alexander Zkrzycki Succamerarius Caliſſienſis, & Ioannes Pienązek Capitaneus Oſwecimenſis, qui a Primate Regni exquirerent, verane eſſent, quae fama vulgaverat, quod d. 25. Maii cum duodecim Senatoribus ſecretum Conſilium habuerit, Regemque inconſulta Nobilitate

bilitate iam elegerit; quod cum vana haec omnia esse responsum esset ab Archiepiscopo, conticuit motus. Oborscius vero indignationem multorum sensit, quam publice deprecabatur, ac si Condeum & Neoburgum ad fasces Regni promotum cuperet. Die sequenti Archiepiscopus quaternos Senatores ex singulis gentibus elegit, qui exorbitantias Regni hora septima matutina in Arce Varsavienſi tractarent, & ad Rotae Consilium hora secunda pomeridiana venirent. Die 30. Maii concluſum est, ut Camenecia Podoliae, Lubovia Bresciae, & Arx Cracovienſis fortius communirentur, sumtibusque publicis praesidiarii milites locis his munitis imponerentur. Secundo Nonas Iunii Mareschalcus Equestris ob adversam valetudinem scipionem ex consensu Equestris Ordinis commisit Capitaneo Spissienſi, qui statim ab eodem Ordine petiit, ut Nuncio Summi Pontificis audientia concederetur, quae sequentis diei hora secunda pomeridiana contigit, postquam sex Palatini & duo Episcopi in occursum ire iussi Legato Apostolico. Huic Rotam ingresso, locus inter Archiepiscopum & Cuiavienſem Episcopum dabatur, cuius litteras a Pontifice productas Referendarius Regni spiritualis in Senatu, & Mareschalcus in Equestri Rota legit, quibus unio animorum vovebatur,

& ut

& ut Princeps concordibus suffragiis Orthodoxae Religionis haeres eligeretur: insimul ut Electio feliciter orbi Christiano cederet, Apostolica benedictio liberaliter conferebatur. Die 5. Iunii Succamerarius Posnanensis publice legit scriptū, quo praecavebatur in posterum abdicationi Regū Poloniae, concluſumque est, ut ipsum id iuramento Principum singulariter insereretur. Die 6. Iunii Equestris Ordo petiit a Senatorio exclusionem Principis Condei, in quem voluntates Archiepiscopi ipsius, Wydzgae Episcopi Varmiensis, Potoccii Palatini Kiiovienſis, Gninscii Palatini Culmensis, Bąkovii Palatini Pomeraniae, & Sobieſcii Regni Mareſchalci, propendebant. Exclusio tandem facta est, & de Legato Caesaris Leopoldi excipiendo actum, qui d. 7. Iunii octoginta octo vexilla Polonorum & Lithvanorum a latere habuit, admissusque in Rotam, medius inter Mareschalcum Regni & Equestris Ordinis consedit, a Maiestate tamen Caesarea literas ad Rempublicam non dedit, quod in iis titulus *Sereniſſimae* fuerit omissus, pauca itaque verba praefatus instructionem legit, qua Caesar 1.] Concordiam eligendi Regem precabatur Polonis. 2.) Amicitiam Domus Austriacae cum Regno Poloniae commendabat. 3.) Pro Philippo Wilhelmo Palatino Rheni, Principe Neoburgico, ut in Regem eligeretur, instabat, laudans eius in fide Catholica constan-

tiam, aetatis maturitatem, corporis mentisque regimen. Die 8. Iunii seu vigilia Pentecostali Legato Gallico ingrediendi in Rotam potestas, sensaque sua exponendi concessa est, qui vel ob adversam valetudinem, vel ob indignationem exclusi a Regno Principis Condei, non comparuit. Feria prima Pentecostalis cum esset sacris solennibus destinata, nocte tamen Varsaviae tertia fere pars igne periit. Feria secunda seu d. 10. Iunii Legatus Regis Galliae respondit, se iam amplius nullis indigere Reipublicae Polonae favoribus. Feria tertia sive d. 11. Iunii Legati Svecici sperabatur adventus, sed quia is partim scripserat, se in excipienda legatione, nulli in orbe Principum cessurum esse loco, partim se excusaverat, quod nondum omnia, quae proponere deberet, a Clementissimo Rege suo Carolo Gustavo haberet, ideo Legatus Ducis Prussiae de Overbek auditus est, qui sero nimis die Ducem Neoburgicum Reipublicae commendavit. Die 12. Iunii tres Legati sunt auditi. Primus, Ducis Neoburgici, qui Principem suum votis omnium Christianorum, & iudicio ipsius Vladislai IV. Regis Poloniae p. m. insignem commendavit, nimisque promissis favorem Reipublicae ipsi conciliavit. Secundus Ducis Curlandiae, Putkamer, qui nonnullas iniurias conquestus, fidem promissorum Duci suo

a Re-

a Republica exsolvi petiit. Tertius, Magni Tartarorum Chan, cui a latere dextro in terra prostratus erat tapes, verum ille absentiam Regis causatus, rogavit saltem, quae ei tapete contecta data est, qui verso in hanc & illam partem corpore consedit. per Interpretem amice Rempublicam a Principe suo Chan Soltan Galga salutavit, pactorum Godhagecensium & amicitiae cum Polonis perennitatem animitus vovit, illamque vicissim expetiit, tum surgens de sella tecto capite, ducente eum Interprete ad Archiepiscopum progressus, literas ei tradidit, inde ad Mareschalcum Rotae Equestris deductus, redditis literis in sella consedit, pluraque se ad Rempublicam habere mandata dixit; quae omnia in commodiorem occasionem delata sunt. Interea a Rege Magnae Britanniae lectae litterae, quae Rempublicam ad eligendum Principem Neoburgicum invitabant: titulus Regis Angliae *Fidei Defensor* nonnihil offendit nonnullorum animos. Postea Legati Principis Lotharingiae advenerant, qui exhibitis ad Senatorium Equestremque Ordinem literis, pro Principe suo perorabant. Omnibus vero Legatis ab Archiepiscopo & Mareschalco hoc fere responsum datum erat: Polonos Regem electuros, quem ipsis fata coelumque destinaverint. Die 13. Iunii omnia tumultu permixta erant, adeo ut

plerique ſuppellectiles ſuas & res pretioſas in Templa, cellas muratas, aut abdita locorum reconderent. Declaratum quoque eſt, prolongationem Comitiorum ad diem Veneris & Saturni, vel diem Lunae & Martis, nec longius extendendam eſſe. Legato Regis Sveciae in diem Solis poſt meridiem conceſſus eſt in Rotam Equeſtrem ingreſſus. Die 14. Iunii tractatae ſunt exorbitantiae in Arce, locus quoque Nuntiis Terrarum Pruſſiae a Mareſchalco inter Plocenſem & Lancicienſem Palatinatus aſſignatus eſt, cum veteri ſede a Sendomirienſis Nobilitatis multitudine foras pridie moti eſſent. Die 15. iterum de exorbitantiis actum eſt, deciſarumque Catalogus a Succameratio Caliſienſi ſub veſperam lectus. Die 16. Legatus Sveciae Comitem Palatinum Rheni Reipublicae commendavit Regem. Die 17. pauci Senatores in Rota mane erant, ideoque conſilia ad horam ſecundam pomeridianam prolongata; cumque fere univerſi praeſentes eſſent, praeter Archiepiſcopum, qui cum adverſa conflictabatur valetudine, voluerunt nonnulli Comitia protrahere, quod nondum omnes exorbitantiae expeditae eſſent; interea cohortes militares propius vallum properabant, explosis aliquot bombardis. Et quamvis Epiſcopus Cuiavienſis Caſimirus Florianus Dux in Klevan Czartoryſki

cum

cum Mareſchalco Regni turbas has compeſcere ſtuderet, nihil tamen effecit, cum quidam e Palatinatu Ravenſi alta voce clamaret: *In vos, Sacerdotes, haec arma parari & explodi!* & ille ad vindictam inquireretur, tum demum milites furere inceperunt, ut Senatores Equitesque ſuis ſedibus prorumperent, & ad portas ruerent, in primis Gembicius Epiſcopus Plocenſis, Leſzczynſki Palatinus Lancicienſis, Zugotius Palatinus Inoclavienſis, Grzymalkovius Caſtellanus Poſnanienſis, & Zkrzynſki Caſtellanus Breſtenſis; ſed tamen cum ſumma ignominia repulſi, brevioraque ſclopeta in pectora eorum vibrata. Bini inſuper in vallo occiſi, tertius per manum globo traiectus eſt ſine periculo vitae. Sero tandem tumultus hos Mareſchalci compoſuere, Senatusque ad ſedes ſuas rediit. Die 18. Iunii in Arce Senatus Conſilium congregatum definivit, ut Palatinus per Deputatos e medio ſui Electionem novi Regis maturaret. Modus quoque eligendi Regem praeſcriptus, ut prius ieiunio & ſupplicibus deprecationibus coeleſte Numen in omnibus templis placaretur, deinde nomina duorum Candidatorum duabus ſchedulis inſcriberentur, ſacro calici inferendis, quarum alterutra a triennali puero exemta, cuius nomen prae ſe ferret, is Rex Polonis regnaret. Haec dum aguntur, & Leſzczynſki de iniuria ſibi

aliisque a cohorte militari illata conqueritur, Dembicius Vexillifer Sendomirienſis negotio huic ſupervenit, dictitans, poenitere iam facti fratres, & ut poenitentiam teſtarentur, ſe inpoſterum modeſtia uſuros eſſe, neque univerſos Reipublicae conſiliis interfuturos, niſi per Deputatos. Gratum hoc erat Arciepiſcopo nuntium, rogavitque Senatores, ut eorum quisque fratribus perſvaderet ſuis, ne armati ad Rotam venirent, omnemque ſecuritatem Reipublicae eriperent. Trecenti mox Nobiles aderant tum Mareſchalcus officium deponere voluit, ſed a Vexillifero Sendomirienſi confirmatus, inventumque medium eſt, ut Nobilitas armata juſto ſpatio a Rota abeſſet. Praeterea concordia communi firmatum, ut poſtera die nullae aliae tractarentur materiae, quam compoſitio pactorum Conventorum, & novi Regis per ſuffragia Electio. Die 19 Iunii (erat dies Mercurii) circa decimam horam Mareſchalcus Equeſtris in frequenti quamvis Senatu ſeſſionem inchoavit, aſſerens, nullas alias materias admittendas, praeter ſolam nominationem Principis, properabatque ad lectionem pactorum Conventorum. Invertere propoſitum hoc plurimi laborabant, partim quod Confoederationis Leges actum Electionis non admitterent, niſi prius exorbitantiae ſublatae fuerint, partim quod in-

fre-

frequens in tentorio fuerit Senatus. Ille ad Archiepiscopum nuntios misit, qui ad suffragia colligenda & nominationem Regis eum invitarent, his referentibus, Reverendissimum Principem ob adversam valetudinem non posse publicis adesse consiliis, Episcopus Posnanienſis in absentia Cuiavienſis & Cracovienſis Episcoporum, flexis genibus & ceteris ad eandem reverentiam divini cultus invitatis, devoto pectore & lachrymis madente: Veni Sancte Spiritus! alta voce oravit, deinde cruce signatos universos cum divina benedictione ad suos dimisit Palatinatus. Advolantibus postea undique Nunciis, unus et viginti Palatinatus, excluso Principe Neoburgico, in Electionem Piasti assensere. Stetit tum Reipublicae facies maxime opera & ope Episcopi Culmenſis & Pro-Canc ellarii Regni Olszowski, qui tumultus intestinos sedavit, pacatamque reddidit Rempublicam. Nuncii Magni Ducatus Lithvaniae protrahere adhuc Electionem conabantur, nec vota sua in Michaelem Coributhum conferebant, quod arduum ipsis videretur, parere pari; sed ab Episcopis Cuiavienſi & Culmenſi, aliisque, debita veneratione excepti, in Rotam deducti, anxieque rogati sunt, ut a libere electo ab Ordinibus Regni Rege dissentire nollent. Populus morae impatiens, & supra modum novi Regis

avidus, infinitis clamoribus nominationem eius urgebat. Tum Episcopus Cuiavienſis disſeruit, nolle ſe quidquam auctoritatis in praeiudicium Archiepiſcopi uſurpare, ceterum in abſentia eius pariturum Reipublicae deſiderio, ac in primis patriae gratulari, quod Polonis regnaturus ſit Rex Polonus. Mareſchalci tunc abſentis vices gener ipſius Capitaneus Spiſſienſis obibat, non diſſimilia a ſermone Epiſcopi loquutus, iubebat declarationes Palatinatuum proferri, iamque extrema peragebantur, cum Archiepiſcopus advenit, & expeditis omnibus, pro more ter interrogavit, an conſenſus omnium eſſet nominandi Regem? tandem cum ſumma omnium gratulatione nominavit Principem electum, Michaelem Coributhum, Regem Poloniae & Magnum Ducem Lithvaniae, iuſſitque ad tres portas valli exclamare: Io triumphe! Vivat Rex! tum in genua procumbens, Te Deum laudamus! concinuit omnis populus, tormentaque cum ſclopetis uſque ad horam ſextam ſequentis diei matutinam exonerata. Ipſe novus Rex a Primate ad rotam invitatus, atque in Arcem deductus, multis Senatorum ibidem eum praeſtolantibus. Die 20. Iunii, Feſto Corporis Chriſti celebrando interfuit Rex, atque inter tubarum concentus, tympanorum ſtrepitus, fulgentia ſigna & late expanſa ve-

sa vexilla, extra moenia Civitatis progressus, intecto capite singulis Palatinatibus eorumque Ducibus pro electione sui in Regem gratias egit. Die 21. Iunii Illustrissimus Primas denominavit ex Senatu tres Episcopos, totidem Palatinos & Castellanos singulos ex gentibus, Mareschalcus vero Equestris binos ex singulis Palatinatibus, & singulos ex Terris, qui exorbitantias expedirent, & pacta conventa conscriberent. Sequenti die 22. pars Deputatorum in Senatorio conclavi ad exorbitantias tollendas remansit, pars ad Reginale palatium perrexit, ad compositionem pactorum Conventorum. Reverendissimus Episcopus Cuiavienfis deinde cum reliquis a Rege novo missus Orator disseruit, Sereniſſimum Regem Michaelem nullos Reipublicae offerre milliones, omnia tamen daturum, si pacem dederit. Die 23. Sessio a Deputatis ad pacta Conventa scribenda inchoata est. Die 24. vacantiae in Arce distributae, iuraque indigenatus Terrarum Prussiae a Regnicolis strenue oppugnata, sed a Prussis egregie propugnata sunt. Die 25. solennitas Corporis Christi consilia publica nonnihil sufflaminavit. Die 26. Senatores & Equites ad Rotam frequentes venere, inter alia de provisione Ioannis Casimiri acturi. Die 27. Zamoscius protestatione solenniter facta contra to-

tum Electionis actum, contra pactorum Conventorum definitionem, & praestandum super ea Electi Regis iuramentum, e Rota erumpens discessit. Die 28 Iunii pacta Conventa scribebantur, exorbitantiae vero ad Comitia Coronationis differebantur. Die 29. tempus novi Regis coronandi in diem 29. Septembr. Cracoviae indictum, & a Mareschalco Equestris Ordinis rota iuramenti Electo Regi exhibenda, super quam postero die iuraret, praesentata est. Postea Mareschalcus scipionem deponens gratias egit Nobilitati, pro beneficio liberaliter in se collato, cui vicissim pro ingenti labore & exantlatis pro Republica curis, pari officiorum testificatione Equestris Ordo gratias egit. Die 30. Rex electus in Templum progressus est, in quo ad magnum Altare Archiepiscopus sacrum celebravit, quo finito, in gradibus Altaris Evangelium manibus tenuit, super quo Rex iureiurando pacta conventa confirmavit. Tum nomine Senatus Archiepiscopus, & nomine Nobilitatis Mareschalcus Equestris dignitatem Regiam Regi gratulati sunt, quibus nomine Regis Palatinus Culmensis Gninski respondit. Transactis Ceremoniis Mareschalcus Forensis clara voce publicavit: Polonos iam iustum Regem habere. Qvi deinde Cracoviae in Cathedrali Aede D. Stanislai A. C. 1669. Festo

Micha-

Michaelis ab Archiepiscopo coronatus est. Vid. *Censura Candidatorum An. 1669 edita. Diarium Europaeum continuat.* 19. CASIM. ZAWACKI *in gloria orbi Sarmatico consensu monstrata. Varsav* 1670. *in lucem emissa.* IOACH. PASTORIVS *in diademate gloriae.* NICOL. CHWAŁKOWSKI *in Iur. Publ. Polon. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 20. *seq.* item, *Diarium Electionis Michaelis in fol.*

§. XVI. De decimo quinto Interregno, citius, quam putarant Poloni, cogitandum erat. Nam Michaele Coributho, Duce in Wiesnowiec, qui a Duce Coributho, fratre Vladislai Iagellonis genus duxerat, Leopoli Anno 1673. d. 31. Octobr. sangvinis profluvio (de quo vid. §. II. Cap. I.) extincto, postquam Respublica motibus civilibus esset concussa, Camenecia, non tam arte quam natura munitissimum Poloniae castellum, a Turcis expugnata, & a Ioanne Sobieski, tum Regni Mareschalco & supremo exercitus Polonici Duce, victoria a Tartaris ad Chocimum paullo ante obitum Michaelis reportata, Casimirus Florianus Dux in Klewan Czartoryski, Episcopus ante Vladislavienſis & Pomeraniae, tum Gnesnensis Archiepiscopus nominatus, sed nondum a Pontifice Maximo confirmatus, Interregis munia exercuit, subque eo titulo Vniversales (sic vocant litte-

literas publicas) mortem Regis denunciantes, futuraeque Convocationis tempus praefinientes, ad singulos Palatinatus & Terras e Cancellaria sua dedit. Alias cum ipse Archiepiscopus in Regno est, hac praerogativa eminet, ut Mareschaleum habeat eo ex Ordine, in quo ipse est, nimirum Senatorio, quippe unus ex Castellanis currum illius eques antecedit. Interrex in Convocatione Generali in An. 1674. mensem Ianuarium indicta, cum Senatoribus, & Mareschalcus Equestris cum Nunciis Terrestribus Eleonoram Mariam, Ferdinandi III. Imperatoris filiam, & Michaelis Regis Viduam, invitarant, dolorem suum super obitu Regis praematuro testaturi. Regina sub Wraniſko consederat. in solio, sed accedentibus Senatoribus assurrexit, orationesque ipsorum audivit, quibus Reginae Cancellarius respondit. Iudicia insuper per Mareschalcum in prima statim sessione proclamabantur, de quibus tamen Nuncii Terrestres conquerebantur, quod haec proclamatio sit facta sine consensu Equestris Ordinis, & quod hoc in praeiudicium Capturalium Iudiciorum factum sit. Mareschalcis quoque solita iurisdictio usque ad Electionem concessa est, ut patet ex Confoederatione in Convocatione Generali sancita fol. 20. Mareschalcorum tum temporis iusiurandum tale fuit; "Ego N. iuro

iuro DEO Omnipotenti quod iuſte ſine ullo" perſonarum reſpectu, iuxta iuramentum in" officio Mareſchalci, Regi Regnoque praeſti-" tum, iudicabo, nullas cauſas ad iudicium hoc" pertinentes doloſe agam, conſilia & praecau-" tiones non ſuppeditabo, ſecreta quoque iudi-" cii praeſentis non revelabo, ſic me DEus ad-" iuvet & ſancta Crux Chriſti. " Die 15. Ianuarii per Nuncios ſuos poſtulaverat Pruſſia, ut etiam e Pruſſis, recurrente ad illos ordine, Mareſchalcus eligeretur; ſed nihil tamen obtinuit. Praeterea hic ordo conſtitutus erat, ut Interrex negotia Reipublicae cum adiunctis ſibi Deputatis, inter quos ſex Epiſcopi, ſeptendecim Palatini & Caſtellani, omnes fere Ordinis Senatorii Officiales, & duodecim Equites ex Minori Maiorique Polonia & ex Magno Ducatu Lithvaniae fuerunt, tractaret, graviora vero negotia & ad animam Reipublicae pertinentia cum omnibus Ordinibus in Comitiis Electionis demum trutinaret ac definiret. Iuramentum horum Senatorum ex utroque Ordine Deputatorum verbis polonicis conceptum, latino ſic ſonat idiomate: " Ego N. iuro DEO Omni-" potenti, quia iuſte ſecundum DEum, ius ſcri-" ptum, aequitatem, & controverſiae ſtatum iudi-" cabo, recognitionemque aſſumam, nullum re-" ſpectum divitis vel pauperis, amici vel inimi-" ci, in-

"ci, indigenae vel alienigenae habiturus, ne-
"que amicitiam, largitionem & minas curatu-
"rus, sed in Iudicio praesenti DEum ipsum,
"ius scriptum, aequitatem, & controversiae sta-
"tum, recognitionemque sequuturus ero, & in
"omnibus conscientiae meae dictamen attentu-
"rus, aliasque actiones ad me facientes secun-
"dum facultatem meam expediturus, nullius
"insuper causam dolose & fraudulenter agita-
"bo, neque praecautiones & consilia submini-
strabo, neque dona accipiam. Et quia non
"studebam, ut ad Iudicia haec eligerer, neque
"secreta Iudiciorum horum ulli revelabo, ita
"me DEus adiuvet & sancta Crux Christi. " Se-
reniſſimae Reginae post fata mariti desideratis-
simi ducenta & viginti florenorum millia in
eadem Convocatione Generali promissa, & de-
nuo per pacta Conventa assecurata sunt, non
computando in eadem summam donum nupti-
ale annuum ex salisfodinis Cracovienſibus sol-
vendum, scilicet duo millia Vngaricalium, quae
eidem iuxta Constitutum A. 1670. compete-
bant. Praeterea concluſum, ut Residentiam
suam pro lubitu in quovis loco, excepta Cra-
covia, constitueret, quae sedem sibi hic Tho-
runii fixerat. Plurimi quoque tum in exclu-
sionem Piasti consenserant, inprimis Lithvani
summis viribus allaborabant, ut Incola a Regno

lege

lege publica excluderetur: eorum ratio fuit, quod acerbum sit, sibi aequalem subito ad hoc fastigium electum Dominum suum appellare, ex quo turbae & bella intestina oriri soleant. Ne vero contraria pars obiiceret, rem hanc esse novam, allegarunt locum cuiusdam *Historici Polonici*, qui de Interregno quodam dixit: "Exclusis Piastis dictae sunt pro exteris sententiae." Sed hoc consilium in primis Comitiis Electionis acriter impugnatum est, quando rationes quas ex §. nostr. 6. C I. petimus, afferebantur, ne lex de excludendo Piasto cuderetur. 1.) Dedecus summum esset apud dexteras gentes, non esse inter gentem Polonam vel Lithvanam idoneum ad sceptra virum. 2.) Exteri sibi ius aliquod in Regnum Poloniae praetenderent. 3.) Coarctatio esset liberae vocis in Electione, si ad exteros tantum restringeretur. 4.) Iniuria inferretur manibus Serenissimi Michaelis, cuius gratia lex illa de exclusione Piastae lata esse videbatur. 5.) Consensisse quidem quosdam in exclusionem Piastae, sed non omnes. 6.] Sacras litteras dicere: Non eliges nisi indigenam. 7.] Dicerent exteri, Polonicam gentem ad servitutem natam parere scire, imperare nescire. Ea quae in Confoederatione Generali fuere sancita, & in Curia Varsavienſi feria sexta ante Festum Vitae

&Mo-

& Modesti Sanctorum Martyrum proxima A. 1674. ad inscribendum (ad ingrossandum) oblata, possunt in primis ad sequentia capita reduci, ut Confoederatio ex Volumine Legum A. 1587. reassumeretur, in qua in securitatem sequuturae Electionis concluſum, ut 1.) Cohortes equestres vel pedestres cuiuscunque nationis una cum bellicis machinis ad tria milliaria Varsavia abessent; transgressores vero talis legis Regni & Magni Ducatus Lithvaniae Instigatores ad Iudicium Capturale citarent, convictosque poena exclusionis ab omni Electionis actu afficerent. 2.) Vt peregrini extra locum Consiliis publici procul abessent, nec Varsaviae morarentur: exterorum vero Principum Legati in locis a Mareschalco Regni assignatis subsisterent. 3.) Vt nullus auderet ad campum Electorum instructus armis gravioribus, nisi scutis, accedere, qui id faceret, ducentis marcis & incarcerationis sex hebdomadarum mulctaretur; citatus vero ad iudicium, & non compareret, bannitus haberetur; malleos insuper incurvatos nemo gestaret, nec campum Electoralem cum iis intraret, sub eadem poena ducentarum marcarum, & alia civili arbitraria. 4.] Vt hospitia Varsaviae & in pagis pro incolis & exteris a Mareschalcis assignata nullus occuparet, & qui id faceret, si Nobilis, ducentarum

tarum marcarum mulcta & incarceratione per totam Electionem mulctaretur, sin plebeius, manu truncaretur, & qui praedia spiritualia vel nobilia sine scitu Senatorum vi invaderet, inde ad primam instantiam teneretur egredi, partique laesae ducentas marcas totidemque officio cum compensatione solveret. 5.] Ut quilibet in hospitio suo pacate viveret, & in ponte Vistuleo nullas cieret turbas, sub poena arbitraria Iudicii pro qualitate facti cuiusvis irroganda: quodsi turmae militum in campo' & prope tentorium castra metarentur, ad instantiam Instigatoris poena infamiae eis decerneretur & publicaretur. 6.) In civitate vel suburbiis onerata cum bombarda ambulans, eamque exonerans, si dominus fundi, ducentis marcis, sin minus, incarceratione dimidii annī mulctaretur: qui vero in campum electionis bombardam adferret, licet ea neminem laesisset, si Nobilis sex hebdomadarum custodia & ducentis marcis, sin plebeius, capite plecteretur: & quicunque alium ubicunque locorum, si vel plebeium interficeret, capite minuendus esset. 7.] Nullus Varsaviae in suburbiis, vel alibi, res venum expositas raperet ad se vi, raptas vero iuxta taxam a Mareschalcis & Deputatis ordinatam, sub poena bannitionis in duplo restitueret. 8.) Nullus aurigarum vel in-

ſtitorum ab octava ad dimidiam nonam, nec poſt meridiem a quarta ad quintam in ponte Viſtulano merces venales veheret, ut ex altera parte ad Reipublicae negotia profecturis aditus liber pateret, vectigal vero non niſi groſſus ab equo penderetur in ponte. 9.] Nemo ad locum Electionis vinum, crematum, cereviſiam, aliosque liquores, ſub poena amiſſionis eorum advehere auderet. 10.) Qui alteri ubicunque locorum damnum inferret, ſex hebdomadarum carcere & compenſatione damni coerceretur. 11.] Obſonia in Vrbem vehere cuique licitum eſſet, inſtitoribus vero ea emere non liceret ſub poena quaruordecim marcarum & amiſſione rerum emtarum. 12.) Tabernae vinariae vel cereviſiariae usque ad dimidiam octavam veſpertinam apertae tantum eſſent, ſub amiſſione cereviſiae vel alius liquoris & ſeſſione turris. 13.] Ad Rotam Equeſtrem, ubi publica negotia tractantur, nulli peregrino ius accedendi eſſet, ſine ſcitu Mareſchalcorum utriusque gentis. 14.) Vt Mareſchalci utriusque gentis cum Deputatis ludicia iuſte & dextre adminiſtrarent, ſub poena in Iudiciis Tribunalibus deſcripta. 15.] Vt ad duellum ſive monomachiam nullus alterum ſub poena carceris per dimidium annum & ſolutione ſexaginta marcarum provocaret. 16.) Vt

Mare-

Mareschalci & Deputati cum suis Ministris, si in supra positis clausulis excederent, eidem Iudicio & eisdem pro qvalitate excessus poenis subiacerent, pluralitas vero votorum vel suffragiorum causas definiret, non obstante duorum vel trium Deputatorum absentia. Tandem in ea Convocatione Comitia Electionis in mensem Aprilim erant indicta. Tempore Electionis prima cura circa eligendum Mareschalcum occupabatur, qui electus iuramentum hoc verborum tenore praestitit: "Ego N. iu-"ro DEO Omnipotenti, quia in officio moder-"ho Mareschalcus fidelis ero, nec instrumen-"tum futurae Electionis extradam, nisi ex legi-"timo consensu omnium & singulorum Electo;" ita me DEVS adiuvet & sancta crux CHRI-"STI." Deinde exorbitantiae non erant sublatae, sed quemadmodum post Electionem & Renunciationem Michaelis pacta conventa demum fuere scripta; ita post Nominationem Ioannis III. cum pacta conventa composita, tum exorbitantiae fuerunt expeditae. Insuper Rex novus in pactis Conventis promisit, se velle etiam tertio quovis anno in Magno Ducatu Lithvaniae residere, hisque legibus fundamentalibus seu Capitulationi, ne consangvinei Regis in linea collaterali extollerentur supra aequalitatem Nobilitatis Polonicae vel Lithvanicae,

sed eodem iure cum reliqua Nobilitate censerentur: item, ut Rex hanc vel illam provinciam speciatim ab hostibus recuperaret. Cum Ordines Regni pactis Conventis Michaelis caput novum inseruissent, in quo Rex pro se & suis Successoribus cavebat de non abdicando Regno, hocque pro perpetua lege habere volebat; Ioannes III. cum esset electus, rogavit Ordines, ut illud caput omitteretur, [quemadmodum *Diarium Electionis A.* 1674. *d.* 27. *Maii* testatur] id quod etiam factum est. Quae praeterea prolixioribus verbis in pactis Conventis conscripta sunt, possunt ad sequentia haec reduci. 1.) Vt Rex novus eiusque haeredes titulum Haeredis minime usurparent, nec Domus Regia ullam successionem & praetextum proximitatis ad Regnum sibi praesumerent, sed aequalitati per omnia cum statu Nobilitatis subiacerent. 2.) Vt Rex eiusque Successores essent Romanae Orthodoxae Religionis Catholicae, & Regina itidem sive natione sive vocatione. 3.) Vt Dissidentes in Religione Christiana, non obstantibus quibuscunque Protestationibus, libero fidei suae exercitio uterentur. 4.) Vt iuramentum Regis & pacta Conventa prima die Comitiorum quorumlibet publice in praesentia omnium Ordinum legerentur. 5.) Vt si quid alicui a Rege ante Electionem praemissum

missum fuerit, id nullius valoris esset, neque Rex promissum implere teneretur. 6.) Ne Regina in negotia Status Reipublicae se immisceret, nec promotiones ad officia per foeminas vel exteras personas fieri deberent. 7.] Vt pacta & foedera cum vicinis Principibus ad conservandam pacem perpetuam renovarentur. 8.) Ius cudendae monetae non ex Senatus Consulto, sed ex Comitiorum consensu iuxta ligam Imperii & vicinorum Principum valeret. 9.) Ne milites extranei sine speciali consensu & scitu Reipublicae in Regnum Poloniae & Magnum Ducatum Lithvaniae annexasque Provincias immitterentur; qui id faceret, pro infami & perduelle habendus. 10.] Ne alienigenis iura indigenatus conferrentur, nisi de patria bene meritis, & quos Supremi Exercituum Duces Reipublicae commendarent; iis vero usque ad tertiam progeniem officia & beneficia Legationis non deberent committi. 11.) Duae dignitates insimul uni non essent concedendae, in primis dignitates Mareschalci, Cancellarii, Thesaurarii, & Supremi Exercituum ducis. 12.) Vt militi peregrino tercenties mille triginta octo floreni a Rege aere proprio solverentur. 13.) Vt schola militaris propter Iuvenes Nobiles in ea exercendos erigeretur. 14.] Duo castella, unum Leopoli in

Regno, alterum in loco Magni Ducatus Lithvaniae commodo munirentur. 15.) Milites corporis Regii, Miniſtrique aulici, Regis ſumtibus alerentur. 16.] Vt Tartari Zaporovienſes ſtipendia ſua nacti, in obſequio Reipublicae continerentur. 17.) Vt a Regno avulſae Provinciae, praeſertim Vkraina & Podolia, ab hoſtibus recuperarentur. 18.) Vt dignitates extra tempus Comitiorum poſt ſex hebdomadarum intervallum, in Comitiis vero ipſis ante alia negotia qvantocius bene meritis diſtribuerentur. 19.) Comitia quolibet tertio anno Grodnae in Lithvania propter amplitudinem loci haberentur, quemadmodum iam ante A. 1673. in Comitiis Varſavienſibus definitum erat. 20.) Exorbitantiae omnes poſt Comitia Coronationis deciderentur: Privilegia quoque omnium ſingula in Comitiis Coronationis confirmarentur, & ſi has & alias leges Rex novus non ſervaret, ab obſequio & fidelitate & praeſtandis utraque gens, iuxta Conſtitutionem A. 1609. libera eſſet. Pacta haec iuramento confirmavit Ioannes III. in Templo Ioannitico Varſaviae d. 5. Iunii. Subſcripſerunt illis, praeter plurimos e Regno & Lithvania, quatuor etiam Civitatum Nuncii, utpote Cracovienſes, Vilnenſes, Leopolienſes & Poſnanienſes. Cum Archiepiſcopus Caſimirus Florianus Czartoryſki

ſki mortuus eſſet, Andreas Trzebicki Epiſcopus Cracovienſis, praemiſſa per Reverendiſſimum Ioannem Gembicki Epiſcopum Vladislavienſem & Pomeraniae praecuſtoditione. Regem nominavit Electum die 21. Maii, quem deinde Mareſchalci utriusque gentis promulgarunt; ſed ante mortem ſupra dicti Archiepiſcopi per totum actum Electionis ore iſtius graviſſimi viri Reſpublica loqvuta eſt. Electio die 20. April. initium ſuum ſumſit, cuius director erat Theſaurarius Magni Ducatus Lithvaniae Benedictus Sapieha, cuius iuramentum ſupra produximus. Competitores ſive Candidati Regni Poloniae tum fuerunt 1.) Magni Ducis Moſcorum filius natu minor, qui decimum quartum fere agebat annum. Huius Legatus neque multis promiſſis neque multis minis, ut ante fieri ſolebat, dominum ſuum commendabat, 2.) Princeps Tranſylvaniae, qui ut faſces Regni tractaret, quindecim milliones, coniunctionem Tranſylvaniae cum Regno Poloniae, & 15000. militum in ſubſidium, quouſque bellum Turcicum duraret, promiſit. 3.) Elector Brandenburgicus Fridericus Wilhelmus pro Principe Electore Carolo Aemilio per Legatos intercedebat, ſed ut Germanus & Haereticus a Polonis reiectus eſt, qui ſimul metuebant, ne Pruſſiam cum Regno coniungeret, e-

iusque posteri ius aliquod in Regnum praetenderent. 4.) Legati Ducum Modenae & Parmae, & Don Pedro Ranqvillos, praesentes in Comitiis Electionis neminem vix commendabant, posterior tamen inclinare videbatur in partes Lotharingicas. 5.) Legatus Daniae Regis Christiani V. Principem Georgium fratrem Reipublicae insinuabat, qui tres milliones & sex millia equitum Regno pollicebatur: Partes eius tuebatur Leopoldus modernus Imperator, forte ut Reginam viduam sororem ipsius in matrimonium ducetet, (in cuius rei gratiam Ioannes Gninski, Palatinus Culmensis, Georgii effigiem Reginae donaverat,) vel ut foederi contra Gallum eum innecteret. Insuper Imperator per Cardinales Romanae Ecclesiae Nitardum & Pio dispensationem pro Polonis a Pontifice Romano Clemente X. efflagitabat, ut Regem non Catholicum, vel qui susceperus tandem esset fidem Romanam, possent eligere. 6.) Princeps Gallicus, sed annonymus, (qui sub nomine Ioannis Sobieski latebat) studia sua Regno commendabat. 7.] Philippus Wilelmus Dux Neoburgicus pro natu maximo filio Ioanne Wilelmo animos Polonorum sollicitaverat, compromittens coniugium filii cum vidua Regina contrahendum. 8.) Dux Lotharingiae Carolus nullae parcebat curae, ut Rex

Polo-

Poloniae eligeretur: ipsa quoque Regina vidua omnem suum muliebrem ornatum, aliasque res pretiosas oppignoraverat, ut partes Carolinas augeret. Ex his tres tantum Candidati supermansere, qui triplicem efficiebant scissionem in tres divisi partes. A partibus viduae Reginae & Caroli Ducis Lotharingiae Lithvani, & ex illis Christophorus Pac Magnus Lithvaniae Cancellarius, & Michael Pac Palatinus Vilnensis supremusque militiae Lithvanicae Dux, stabant. Alii e Polonica Nobilitate, sed in duas partes scissi, partim pro Piasto, partim vero pro Duce Neoburgico vel Lotharingico in Regem eligendo, vota ferebant. Denique milites Principem Galliae larvatum in thronum Regium evehere allaborabant, cui Pacius maxime contradicebat, Lithvanorum ad se trahens consensum, qui Piastum a Regno excludere, eumque pro infami & hoste patriae proclamare, qui indigenam in Regem eligeret, contendebant. Res haec tanto animorum motu agitata fuit, ut ad arma concursum fuisset, cum Dux Lotharingiae iam armato instructus exercitu in confiniis Poloniae & Silesiae haereret, nisi prudentia Marschalci Equestris Ordinis turbae hae fuissent compositae. Post haec Franciscus Bonvisi Archiepiscopus Thessalonicensis & Nuncius Apostolicus ingressus

more solito in Rotam, nomine Pontificis Romani Senatum Equestremque Ordinem rogabat, ut Principem RomanoCatholicum sibi crearent. Deinde Christophorus Schaffgots Caesareus Legatus Ducem Lotharingiae, & de Forbien Episcopus Marsilienſis, Regis Galliae Orator, Ducem Neoburgicum Reipublicae commendabant. Non deerant quoque plurimi, qui partes Sobieſcianas tuebantur, adeo ut metus subortus fuerit, duos Reges electum iri; hinc factum, ut Electio usque ad d. 19. Maii prolongaretur, quo aliquot Episcopi dignitate fulgentes Reginam viduam convenerant, mandata Reipublicae ei exponentes, quodsi a Duce Lotharingiae alieno esset animo, Ducem Neoburgicum Reginae adiungere maritum, eique simul Diadema Regium imponere vellent; apud quam cum nihil effeciſſent, adibant Supremum Lithvaniae Cancellarium, ut eum a Lotharingicis partibus avocarent, sed neque apud hunc preces & obtestationes quicquam valuere. In frequentia deinde Electorum Palatinus tum Russiae, nunc Castellanus Cracovienſis & Supremus belli Dux, Stanislaus Iablonowski, coepit heroico spiritu loqui, cum Regina neutrum e duobus a Republica commendatis sponsis in coniugium ducere vellet, eandem non esse ipsi porro obstrictam, nec ad Domum Austriacam, vel aliquem

quem e Germanis Principem respiciendum esse, cum e Piastis, non obstante pertinaci Lithvanorum pervicacia, Rex eligi possit. Laudavit insuper Ioannnis Sobieski res praeclare gestas, labores pro Reipublicae salute exantlatos, & victoriam a Tartaris ad Chocimum reportatam tandem concluſit, ut is Diademate Polonico ornaretur, qui Rempublicam in eum collocavit statum, quae sceptrum alteri tradere posset. Huic Orationi tota Nobilitas Russica assensum suum praebuit, inprimis quod Sobieski e Russia erat oriundus. Exemplum Palatinatus huius seqvutus est Palatinus Cracovienſis, Alexander Lubomirski, cum reliquis Palatinatibus e Regno Poloniae, & nonnullis e Magno Ducatu Lithvaniae, auctore Michaele Casimiro Duce Radziwillio, ProCancellario & Campiductore Lithvanico. Hoc cum male haberet Supremum Lithvaniae Cancellarium Pacium, hora nona vespertina e Conventu secessit, nec revocari potuit, Protestatione insimul interposita, quod Electio adversus Regni Leges esset, quia non unanimi suffragio totius Nobilitatis ex utraque gente Rex fuit electus. Die 20. Maii Lithvaniae Equestris Ordo ad Comitia venit, eaque mox a tergo salutavit, cum denuo Protestationem, ut supra dictum est, interposuisset. Ad illum mox e Senatu & Rota Equestri missi

Depu-

Deputati, ut eum ad consilia Electionis publica revocarent, qui respondit se prius ad Comitia non reversurum, quam paullo altius rem hanc expenderit, ultimatamque sententiam Senatui insinuaverit. Interim Poloni & nonnulli e gente Lithvanica Episcopum Cracovienſem compellabant, ut Electum Regem nominaret, quam nominationem ille, ut bellum intestinum evitaretur, differre maluit. Haec dum ferventibus aguntur animis, e contradicentibus Lithvanis Deputati, Nicolaus Stephanus Pac, Episcopus Vilnenſis, Cancellarii Lithvanici frater, Alexander Hilarius Polubinski, Supremus Magni Ducatus Lithvaniae Mareschalcus, & alii militiae Praefecti, in Szopam advenerant, eumque primus illorum verba plurima fecisset, tandem pro Sobieſcio suffragium suum tulit, rogavitque decenter, ut denominatio novi Regis in sequentem diem differretur, quando & Lithvani possent esse praesentes, & Electio unanimi consensu Senatus totiusque Nobilitatis ex utraque gente fieret. Qua sententia cum laetis auribus animisque excepta esset, placuit differre in diem 21. Maii denominationem Regis, adeoque, ut supra notavimus, Rex ab Andrea Trzebicki Cracovienſi Episcopo nominatus, & a Mareschalcis utriusque gentis d. 21. Maii publicatus est. Coronationi praefixus erat di-

es 24.

es 22. Iunii A. 1674. & Comitia Coronationis in diem 24. eiusdem mensis indicta: quodsi vero belli tempestas Remp. affligeret, Coronatio in diem 1. Ianuar. A. 1675. differrenda, Comitia vero illius in diem 4. eiusdem transferenda essent. Rex novus demum die 2. Februar. A. 1676. cum Maria Casimira, Henrici de la Grange, Marchionis de Arquien filia, a Ludovico XIV. in filiam Galliae cum nomine Ludovicae adoptata, est per eiusdem Legatum de Forbien Episcopum Marsilienſem post Coronationem declarata, coronatus est, cum antea d. 31. Ianuar. duorum Regum exequiae Ioannis Casimiri & Michaelis Coributhi celebratae essent; illius urnam Opacki Succamerarius Varsavienſis e Gallia, ubi Niverniae d. 6 Decembr. A. 1674. mortuus est, advexerat. Conf. *Confoederatio Generalis A. 1674. Diarium Electionis Ioannis* III. *Pacta Conventa eiusdem, & Germanicus tractatus Anonymi*, der Sarmatiſche Wahl-Schoppen, *Coloniae apud Petrum Marteau A. 1698.* excusus.

§ XVII. Decimi sexti Interregni calamitas cum morte Ioannis III. evenit. Ioanne enim tertio Rege in Villa-nova, uno lapide a Varsavia distante, A. 1696. die 17. Iunii sive vigilia SS. Trinitatis circa octavam vespertinam fatis defuncto, Archiepiscopus Gnesnenſis Michael

Michael Stephanus Radzieiowski e Cancellaria sua ad Palatinatus, Terras & Districtus Poloniae ac Lithvaniae misit literas, mortem Regis denunciantes, silentibusque Iudiciis Castrensibus atque Tribunalitiis, (nisi quod Civitatensia sine provocatione ad supremum Iudicium in Interregnis exerceri soleant) Capturalia constituta sunt. Convocatio Generalis in mensem Septembr. eiusdem anni indicta, paucis diebus stetit. Electus dum fuit Mareschalcus *Stephanus de Richt Humecki*, Dapifer Podoliae cuius *Orationes polonico idiomate* in Conclavi Nunciorum Terrestrium coram Senatu ad Deputatos Exercitus Polonici, ad Ablegatos Exercitus Lithvanici, ad Ablegatos Exercitus Polonici Confoederati, aliaeque habitae, typis excusae. Et is ipse est, qui deinde Confoederatorum seu Rokossianorum fax, tuba, caputque extitit. *Orationem* quoque habiturus erat Regis Galliae Legatus, *Melchior de Palignac*, in Comitiis Convocationis, si non abrupta subito fuissent, eius copiae publicis typis prostant. Nova deinde convocatio in mensem Ianuarium A. 1697. fuit indicta, in qua plures maioresque tumultus, quam in priori, erant orti. Thesaurum Regium diripere volebant plurimi, eumque inter milites, qui multis annis stipendia sua non acceperant, distribuere.

Regi-

Reginae viduae maxime infensi erant Poloni, cum eius pristini regiminis penitus essent pertaesi, quae tamen suos e Senatu habuit Patronos; Regiaque Proles multas excitaverat turbas, in primis Rokossianos milites fovendo, iisque stipendia subministrando. Totum Reipublicae Polonae corpus in varias partes distractũ fuit. Lithvanis sua quoq; commoda quaerentibus, ex quibus Palatinum Vilnensem & Supremum Lithvaniae exercitus Imperatorem Sapieha male habuit, quod iura Lithvaniae cum iuribus Poloniae coaequanda essent, quae tamen deinde coaequata sunt. Sed de his sequior aetas plura scribet dicetque. In Comitiis Convocationis dies 15. Maii A. 1697. Electionis Comitiis indictus est, quem Concio in Templo Ioannitico, ab Andrea Chrysostomo Załuski Episcopo Plocensi habita, auspicabatur: eam in omnibus ut eruditam piamque approbant boni quique, nisi quod verba aeternae substantialisque sapientiae ex Proverb. VIII, 15. Per me Reges regnant: in Polonorum genium detorta sunt; Per nos Reges regnant. Qvinque deinde hebdomadae in eligendo Mareschalco Equestri insumtae sunt, cum alias ad hanc dignitatem Raphaelis Leszczynski, Generalis Poloniae Maioris, filius evectus fuisset, nisi ei Bielinski praeripuisset palmam, qui contra anti-

quam

quam praxim, non per vota, sed per calculos scriptos, fuit lectus. Exorbitantiae non fuerunt expeditae, sed post Coronationem ad medelam dilatae, neque quicquid ex orbita Legum deviavit, correctum est, sed tantum Deputati ad Capturale Iudicium ex Senatorio Equestrique Ordine nominati, & coaequatio iurium Magni Ducatus Lithvaniae praelecta. Inquisitum quoque sedulo fuit, quis exercitum Poloniae & Lithvaniae Rokossiano foedere colligaverit? & quis Comitia Convocationis dissolvi iusserit? verum irrito conatu ob armatum adversae partis strepitum laboratum est. Candidati Regni Poloniae tum temporis erant 1.] Tres Regii Principes, Iacobus Ludovicus, Alexander, & Constantinus: & quamvis hi fascium tractandorum capaces esse potuerint, non tamen sibi spem Regni occupandi facere poterant, ob odium Polonorum, quo in Piastos & Domum Regiam flagrabant; sed ditissima haereditate paterna contentos eos esse oportuit. 2.) Franciscus Ludovicus Borbonius Princeps de Conty e Gallia. 3.) Dux Neoburgicus. 5.) Elector Saxoniae. 6.] Marchio Badensis. 7.) Elector Bavariae. Antequam horum Candidatorum propositiones per Legatos suos Sereniſſimae Reipublicae oblatas divulgemus, lubet producere literas ab Imperatore

ratore Moscoviae Petro Alexevicz mense Maio An. 1697. ad Eminentissimum Cardinalem Archiepiscopum Gnesnensem & Primatem Regni (quas ille suppressisse, nec cum Illustrissimis Regni Ordinibus communicasse dicitur) scriptas, ipsique die 15. Iunii traditas, quarum tenor hic est: *Perillustribus, Illustribus, Eminentissimo Principi Michaeli Radzieiowski Archiepiscopo Gnesnensi, Legato Nato, Primati, Primoque Principi Regni Poloniae & Magni Ducatus Lithuaniae, omnibusque Serenissimae Reipublicae Proceribus, notum facimus, quod, sicut semel inivimus pacta cum Augustissimo Imperatore Christiano, pariter cum pie defuncto Serenissimo Ioanne III. Rege Poloniae, & cum Serenissima Republica Veneta, ita hucusque constanter conservamus, & quae inviolabili vel ideo obstricta iuramento, (ut omnibus adhibitis viribus, secundum posse, pro fide & honore divino, contra orientales sanctae Cruceis pugnando hostes quotidie irruentes ab Ottomannica Porta, in nos detineamus furores, & duras illorum frangamus cervices) sicut patet a nobis colligatis, firmiter conservata, ita ea & inposterum conservaturos nos esse*

obligamus. Nos Magnus Imperator Moſcoviae habemus hanc notitiam, quod moderno tempore poſt obitum Sereniſſimi Regis Ioannis III. Fratris noſtri, pro futuro Regnante Varſaviae abſolvetur Electio, in qua obliti forte primo integritatis totius Reipublicae Veſtrae & libertatis aureae, deinde initorum nobiscum pactorum, ac cum Auguſtiſſimo Imperatore Chriſtiano, & aeterni foederis immemores, ad Regale ſolium promovetis Principem de Conty, minime plane Turcis & Tartaris [excepto Baptiſmi Sacramento] hoſtem, & illius capiti propter intereſſe privatum coronam imponere deſideratis, & ad effectum iam deducere cogitatis. Expediret nihilominus noſtro etiam uti in hoc conſilio, prout vicini colligati, ex quo ſi aliquod oriturum timeretis impedimentum, nullum eſt, quod vereamini, imo proficuum bono publico poſſet promanare; ſed reiecto hoc, Reipublicae praeſentibus literis noſtris favemus. Si autem iſtius ſuperius dicti conatus in Regno Poloniae ad effectum ſuum pervenire poſſent, ſummo id miraculo eſſet apud exteras totius Chriſtianitatis nationes,

unde

unde non tantum pacta conventa pro debellando coniunctis viribus Oriente, sed etiam aeternum nobiscum initum foedus rumpi deberet, qvoniam nobis colligatis Imperatoribus Galliarum Rex, habendo foedus cum Turcis & Tartaris, multum nocet, & maxime impediendo transitum exercitui Augustissimi Imperatoris Christiani contra Turcas hucusqve non desinit nocere. Qva propter si fieret Rex Poloniae Princeps de Conty, absque dubio non desineret easdem seminare factiones, ex qua ratione & pacta conventa nullo modo inter nos possunt conservari, & qvod magis, de pace & unione Religionis quid sperandum? Optando enim Regnum Poloniae Galliarum Rex, per scripta svasit illi Turcarum Imperator, & persvadendo informationem misit, ut omnibus modis curet coronam Princeps de Conty. Qvid igitur boni sperandum Electo [DEVS avertat] in Regem dicto Principe, qvoniam nostri illum promovent ad solium adversarii. Qva propter Nos Imperator Moscoviae, habendo cum Serenissimo pie defuncto Ioanne III. iuratum foedus, & amicitiam, & cum tota

Republica Polona, talem Regem, qui de Turcica aut Gallica procedat factione, eligere dissvademus; sed talem, qui ex qualicunque sit natione, dummodo non Gallus, Serenissimae Reipublicae optamus & svademus Regem, quique cum Nostra Maiestate, cum Augustissimo Imperatore Christiano, & cum Serenissima Republica Veneta, unus & idem sit in sentiendo, & in bona amicitia & confidentia, conservationeque pactorum unus & unanimis maneat, & nobiscum iunctis viribus possit conterere Ottomannicae Lunae cornua. Quod Nos Imperator Moscoviae omnibus in genere Proceribus Regni & Magni Ducatus Lithvaniae, totique Reipublicae optando, ad considerationem relinquimus tradimusque. Datum in Aula Imperatoris Moscoviae, anno a creatione mundi 5646. *die* 15. *Maii, Imperii autem Nostri anno* 17. Has literas exceperunt aliae, Russico-Polonica lingva Moscuae anno mundi 5646. d. 2. Iunii scriptae, eiusdem fere argumenti, nisi quod duo in illis videantur contineri praecipua puncta: 1.) quod cum Czar potuisset sibi spem facere occupandi Regni Poloniae, id ne per cogitationem quidem fecerit. 2.) Quod questus

sit,

sit, ad priores literas nihil responsi se accepisse, ideoque alteras has ad Rempublicam exaraſſe. Ad quas nomine Reipublicae utriusque gentis Episcopus Cuiavienſis respondit, itidem conquerens, quod prior epistola fuerit intercepta, nec cum Illustribus Ordinibus communicata; promisit insuper aeterni foederis cum Imperatore Moscovitico & Christiano ac Republica Veneta & Inclyto Poloniae Regno Magnoque Ducatu Lithvaniae adversus Turcas & Tartaros iniri conservationem, nec Principis de Conty, sed Serenissimi Electoris Saxonici in thronum Regalem factam evectionem denunciavit. Sed ad Legatos exterorum Principum eorumque propositiones Reipublicae Serenissimae oblatas descendamus. Polluccius Nuncius Apostolicus Innocentii XII. P. R. ad Rempublicam Polonam Legatus Extraordinarius d. 21. Iunii An. 1697. tentorium ingressus, Ordines hortabatur, ut Principem Romano-Catholicum eligerent Regem, postquam alii Oratores auditi sunt, protractumque negotium usque ad dimidiam nonam vespertinam. Ioannes Philippus Episcopus Passavienſis, Sacrae Caesareae Maiestatis ad Comitia Electionis Legatus Extraordinarius, eleganti Oratione publica merita Ioannis III. tum in Rempublicam Polonam, tum in Christianum orbem enarravit, &

res gestas, nec reticuit, quod victricibus Regni Regiaeque Domus auxiliis Vienna liberata, Austria recuperata, Pannonia restituta sit, & cum fructus victoriae illius ad Regem defunctum amplius pervenire non possit, tenerrimos grati animi affectus in filium, Regium Principem Iacobum, transferri petebat, quem commendabat, 1.) quod Regio multotiesque Reipublicae devoto sangvine ortus, mox crescentibus annis victoriis paternis ad sagi decora, consiliis ad togae ornamenta, regnandi artibus ad sustentandam Rempublicam institutus sit. 2.) Quod periculosissimis expeditionibus contra Turcas & Tartaros non solum interfuerit, sed in confertissimas barbarorum turmas laetus incurrerit, viam armis aperuerit, nec nisi fugato aut caeso hoste, e media telorum tempestate, ceu genuinus Aquilae Polonae pullus, ad patrem redierit. 3.) Quod honorificentissima affinitate cum Augustissimo Romanorum Imperatore, Monarcha Hispaniae, Rege Lusitaniae, ac Italiae Germaniaeque Principibus innexus sit. 4.) Quod vegetas ad Regni onera vires, potentes amicitias, speciosas opes, aliasque virtutes, & maxime eminentem activamque libertatem Reipublicae illaturus sit. Melchior de Polignac, Regis Galliae Legatus, pro Principe suo de Conty, praeter longam

cum

cum Caesaribus, Regibus & Principibus tam Orientis quam Occidentis affinitatem, & consanguinitatem, praeter vegetam aetatem, (annorum scilicet triginta trium) & alias virtutes Rege Poloniae dignas, sequentes conditiones proponebat. 1.) Quod Princeps de Conty ante Coronationem, superis faventibus & Republica Polona volente, Cameneciam, & quaecunque a Regno ab hostibus avulsa sunt, sit recuperaturus. 2.] Quod commercia & monetam splendori suo sit restituturus. 3.) Quod pacta Conventa in omnibus punctis & clausulis sit servaturus. 4.] Quod ipse Rex Galliae, ut militibus stipendia solvantur, decem millliones monetae polonicae, cuius maxima pars Gedani depositа, numeraturus, ac reliquam pecuniam ipse Princeps de Conty Electus secum sit advecturus; ut vero conditio haec impleatur, eousque Legati Gallici in Polonia mansuri sint obsides. 5.) Quod sine ullis Regni sumtibus in Legationem splendidam impendendis, de Electione sui certus Princeps de Conty in Regnum ultro sit venturus. Cum vero Legatus Galliae fere subolfeciſſet, Polonorum aversam in Electionem Principis de Conty voluntatem, simul eodem scripto diluit obiectiones, & obstacula omnia removit, quae Principem suum a throno Regio excludere possent. 1.) Quod

ad dominium absolutum non sit adspiraturus ob pacta Conventa, quibus actiones eius circumscribendae sunt. 2.] Quod cum Turcis foedus non sit initurus, nec initum cum Austissimo Imperatore, Republica Polona & Veneta rupturus, cum sciat, in Polonia sine consensu Reipublicae nec bellum geri, nec pacem stabiliri posse. 3.] Qvod vicini Principes Electionem eius non sint limis conspecturi oculis, cum Polonis liceat ex quacunque gente & natione sibi eligere Regem. 4.] Quod coniux Principis Conty, atque olim Regina, negotiis consiliisque Reipublicae publicis se non sit immixtura, cum probe noverit, nationem Gallicam non eum in finem ducere uxores, ut se publicis Regni curis immiscean. Attamen rationes pro non eligendo Principe Galliae in Regem Poloniae peculiari scripto publicabantur sequentes 1.] Quod Electio Principis de Conty in Regem Poloniae, in plures distracta partes, magno Reipublicae incommodo contentionibus turbisque plurimis commixta foret. 2). Quod Piasti nomen per publicam Reipublicae Confoederationem a promotione sit exclusum, vel ideo, quod contra iura patriae ac pacta cum vicinis Principibus inita, Polonia a Regnante suo magnis suis impensis, Galliae factionibus servire cogeretur. 3.) Quod Electio

Prin-

Principis Gallici esset excitatio sopitarum utcunque diffidentiarum cum Domo Austriaca, & disrumpendi foederis fomentum. 4.) Quod Principes foederati magno motu Electionem hanc impediturі sint, ne in continuo metu a vicino Principe excitato, & factionibus Gallicis deserviente, manere adigerentur. 5.) Quod Princeps Galliae aliena pecunia ad Regnum promotus, in promotoris sui iussa sit iuraturus, cui parere Poloni cum Lithvanis tenentur. 6.) Quod Rex Galliae tanti ponderis expensas conaretur resarcire ex inopum alias Polonorum inopia. 7.) Quod milliones oblati privatos tantum essent ditaturi, videndum tamen esse, quae incommoda, quae vicinorum bella, intestinarumque turbarum incentiva post se tracturi sint, quae centenis millionibus non perficerentur. 8.) Quod redirent imperante Galliae Principe Ludovici tempora, unde varias dignitates & officia nationali amore suis conferret Gallis, administrationes denegaret Commissiones designaret, & hinc Civium depretiationes & contemtus orirentur. 9.) Ignorantia lingvae utriusque gentis posset removere Principem Galliae: quomodo enim cum plerisque ageret, quomodo plerique magis arcana illi aut Reginae explicarent, quae cum ignorantibus lingvam communicare non possent. 10.) Quod

ad maiorem Gallorum numerum excreſcente Polonia, tanto maiores contentiones & iurgia excreſcerent, ex quibus etiam caedes & homicídia ſperanda. 11.) Metuendum eſſe, ne forte Gallia tam magnificis promiſſis Polonos lactaret, ut tempus Electionis extraheretur, & alii Candidati a Regno abſterrerentur, tum poſtea fruſtrati Poloni, odio & contemtui exponerentur. Eodem ſcripto cum alii Regni Competitores eſſent a capeſſendo Imperii Diademate excluſi, pro Sereniſſimo Principe Iacobo eligendo haec proponebantur argumenta. 1.) Non eſſe exemplum in Polonia, Regium ſangvinem a Corona unquam fuiſſe excluſum, imo olim ſtudioſe quaeſitum. 2.) Regiis plane dotibus praeditum eſſe Sereniſſimum Iacobum, ac in primis notitia Status Poloniae ac eius politiae; eſſe liberalem, Conſiliariorum amantem, ſumma ſobrietate vigilantem, libertatis aeſtimatorem & amatorem, nec ignarum bene meritorum & mereri volentium. 3.) Nullis factionibus eſſe innodatum, plurisque pacem patriae aeſtimantem, quam locupletiſſimum ex factionibus lucrum. 4.) Bellicoſum eſſe animo, inſignem virtutis martialis aeſtimatorem, praemiatorem etiam futurum, ubi, quod diſtribuat, habuerit. 5.] Non degenerem a magno parente filium, & ſi quos forte notabit

Reſpu-

Reſpublica in Sereniſſimo parente eius defectus regiminis, eos certe eſſe correcturum 6.) Promiſſurum ſe facile a Republica circumſcribi, eius nutibus ab antiquo eſſe obſequentem, pro qua non fortunas tantummodo ſuas, ſed ſangvinem & vitam ipſam profundere paratum eſſe Reipublicae filium. 7.] Eſſe gnarum familiarum Polonicarum Lithvanicarumque ac de Republica bene merentium, quas citius ac facilius erecturus ſit, quam alienigena. 8) Eſſe egregium patriae Civem, qui ſe ipſum Reipublicae dat, ut ipſum habeat, ſuosque utatur in uſus, cum alii Candidati ſua offerant, ut Rempublicam ſibi obligatam & velut pecuniis ſuis ſubiugem habeant. 9.] Eſſe animo candidum, in quo nullae technae, nullae etiam inimicis inſidiae, cum nonniſi malefactis eorum iraſci ſciat, non hominibus: liberaliſſimum quoque eſſe, & condonatorem & contemtorem iniuriarum 10) Eſſe natum in obſervantia Legum, illisque aſſvetum, ut qui Principatum abſolutum non affectet, ubi ſtat pro ratione voluntas, ubi ſingulorum in obſequium Imperantis captivae ſunt mentes. 11.] Securius feliciusque Reipublicae fore, milliones aliquot certos a Principe domeſtico in Reipublicae commoda accipere, quam ab extraneo incertitudine promiſſionis plurium millionum lactari, qvi neſcit

niſi

nisi lucra per lucra qvaerere. 12.) Experientia edoctos esse Polonos, a nemine extraneorum Principum profusissima circa concurrentiam ad Coronam Regiam promissa, etiam in minima parte servata esse; & posito, quod staret Candidatus alius Regni ad praesens verbo, certe tam exiguas milliones vel centenis non resarcitum iri, etiamsi quam maxime pactis Conventis circumscribatur; ipse enim vel fortunis Polonorum inhiando, vel iustitiam distributivam appretiando, impensarum suarum etiam per abrogata qvaereret refusionem, si non sui, certe prolis suae gratia, ne in posterum egeat. Pro Sereniſſimo Principe Carolo Duce Neoburgico, praeter Iagellonici sangvinis, ex quo oriundus, splendorem, affinitatum cum Caesareis Regiisque familiis annexarum amplitudinem, aetatem vegetam, & heroicam in bello virtutem, proponebantur Conditiones sequentes 1.) Leges omnes ac Libertatem Polonicam illibate servaturum Sereniſſimum Carolum, vel ipsius sangvinis pleniſſima effusione, pactaque Conventa omnia inviolate impleturum. 2.] Nullo unquam pretio, etiam vel minimo, aut munere gratitudinis oblato, dignitates officia & munia Regni qualiacunque collaturum, sed solis bene meritis, semoto quocunque privato respectu, distributurum. 3.] Milliones

decem

decem ad persolvenda exercitus stipendia iuxta Reipublicae dispositionem in pecunia numerata illico post Electionem suppeditaturum. 4.) Pro allevatione stativorum hybernalium in bonis regalibus & spiritualibus in unum annum, unum millionem numeraturum, die Festo Michaelis per Ministros suos Leopoli persolvendum. 5.) Alium millionem soluturum Leopoli itidem exolvendum pro sufficienti militum extra limites Regni consistentia, pro re tormentaria & commeatu. 6.) Pro conservatione praesidiorum, ubicunque illa fuerint, trecenta millia in unum annum largiturum. 7.) Monetam ad coaequationem cum vicinis Principibus reducturum, iunctis cum Republica consiliis & subsidiis & ad hunc effectum ceatum millia thalerorum se daturum, simulque restaurationem commerciorum cordi habiturum, 8.) Cameneciae recuperationem vel in transactione generali vel glorioso Marte, imo etiam Bessarabiae acqvisitionem omni nisu curaturum. Pro Marchione Badensi Eques Polonus Sarmatico idiomate politam edidit Orationem, qua Sereniſſimum Principem Ludovicum ut angelum tutelarem & Ancile coelitus datum Reipublicae commendabat, non modo ab antiquitate generis & familiae splendore, sed etiam a munificentia, a foederatorum Principum

cipum copia, & bellicosa virtute, quam adversus Turcam ad Savum, Tibiscum, Istrum, Nyssam, & adversus Gallos in Germania ad Rhenum exercuit. Insuper recuperationem Cameneciae in Podolia, Moldaviae, Valachiae, omniumque locorum usque ad Pontum Euxinum & Tanaim, decem millionum pro stipendiario milite solutionem, & duorum aliorum millionum in apparatum machinarum bellicarum numerationem promisit. Eiusdem fere commatis argumenta erant, quae pro Electore Bavariae & Duce Lotharingiae afferebantur. Sereniſſimi Electoris Saxoniae Friderici Augusti Legatus Extraordinarius Iacobus Henricus Comes de Flemming cum sufficienti & omnimoda plenipotentia sequentes conditiones pro Duce Saxoniae Potentissimo proponebat. 1.) Domus Saxoniae decus retroactis & modernis saeculis in Europa ad omnem immortalitatem inaestimabile. 2.) Vegetam floridamque Candidati sui aetatem, [ut qui viginti septem annos esset natus) & res bellicose gestas, quandoquidem virtute sua Moguntiam ad Rhenum expugnavit, Brabantiam ab invasione Gallica conservavit, in duabus expeditionibus summo Ducis imperio in Hungaria praefuit, resque Pannonicas fluctuantes & a Turcis vexatas in integrum restituit; hinc non modo in arena Martis,

sed

sed etiam in devinctissimis suorum pectoribus triumphos agit infinitos. 3.] Ad fidem Romano-Catholicam ante biennium in urbe Roma accessionem: cum ipse DEus superna hac quasi vocatione straverit viam ad Diadema, & ad ius Poloniae fundamentale: Rex Catholicus esto! habilitaverit, partim ut ruentis orbis machinam potenti brachio suffulciret, partim ut pervicaciam Turcarum atrocissimam domaret, in Cives vero beneficos munificentiae & clementiae radios diffunderet. 4.) Nullam ex beneficiis Reipublicae vel minimam in se derivationem, cum enim unum tantum habeat Haeredem filium, non modo Electorales ditiones cum praerogativa Electorali & insigniis Imperii atque Lusatiam ad se devolutam tempore suo eidem cedere; sed & pacta Conventa in viridi & inviolabili observantia ad famam & utilitatem publicam dirigere velit. 5.) Officiorum distributionem non pretio pecuniae, sed virtutis & meritorum, ne sua privatis crescant aeraria damnis. 6.] Decem millionum currentis monetae post actum Electionis in sublevationem Reipublicae onerum, militumque mercenariorum exolutionem. 7.) Cameneciae, auxiliante Deo, expugnationem & recuperationem. 8.) Non minus Podoliae, Vkrainae, Valachiae & Moldaviae ad Serenissimam Repub-

publicam aggregationem, ut & Sarmatici Imperii extenſionem, & quarumvis a Regno avulſarum Provinciarum reſtitutionem. 9.) Quovis ingruentis belli periculo ſex millium militum, expoſcentibus Regni Statibus & Ordinibus, ſubminiſtrationem, propriisque ſumtibus ſuſtentationem. 10.) Aliquam ex Provinciis ſuis, ſi per commutationem in contiguitate & propinquitate Reipublicae cum vicinis Principibus licuerit, ad terminos Regni adiunctionem. 11.) Monetae & commerciorum ad florentiſſimum ſtatum reſtaurationem. 12.) Scholae militaris, ut Iuventus Nobilium in omnibus bellicis exercitiis excolatur, propriis ſumtibus aedificationem. 13.] Caſtellorum & Arcium munitarum ad veteris & praeſentis militiae normam reparationem & conſervationem. 14.] Nullis colligationibus ad aemulas in Europa familias obligationem, nec cupidine dominandi, quae cunctis flagrantior affectibus; ſed ſolo fidei orthodoxae zelo, & pretioſiſſimae libertatis amore, accenſum Candidatum Sereniſſimum, in DEo ſolo confidere, quod ille corda liberrimae gentis, ſuffragia eligentium, & affectus magnorum Civium eo ſit inclinaturus, ut in vota deſideriaque ipſius deſcendant. Ex his Candidatis duo eligentium votis ſupererant, Elector Saxoniae & Princeps de Conty. Partes illius Duces belli

cum

cum Confoederato exercitu tuebantur; huius Archiepiscopus Gnesnensis, Episcopus Plocensis, & Thesaurarius Magni Ducatus Lithvaniae. Haec acta sunt die 26. Iunii, & maximus scrupulus Polonorum animos de Religione Electoris Saxonici torquebat; postquam vero Illustris Comes de Flemming in Collegio Senatorum Equestrisque Ordinis testimonia produxisset, quod is iam ante biennium Romano-Catholicam fidem Romae amplexus sit, sequenti die 27. Iunii voluntates Polonorum & Lithvanorum in Electorem Saxoniae facilius propendebant, inque eius Electionem vexilla centum septuaginta (in Principis de Conty septuaginta tantum) accedebant. Archiepiscopus Gnesnensis, quia metuebat, Electorem Saxoniae in Regem Poloniae electum iri, cum assecli suis e tentorio excessit, & Principem de Conty Regem Poloniae Magnumque Ducem Lithvaniae proclamabat, existimans, quod reliqui Palatinatus exemplum suum sint seqvuturi; verum Casimirus Ludovicus Bielinski Succammerarius Regni & Mareschalcus Equestris Ordinis adversus proclamationem Archiepiscopi publice protestatus, iussit sonora voce proclamari: Vivat Elector Saxoniae, Rex noster Poloniae! Tum Episcopus Cuiavienſis Stanislaus in Lubraniec Dambski coactus ab utraque gente, ut

Comitia Electionis ceu ſupremum Reipublicae caput porro moderaretur, Te DEVM laudamus! flexis genibus in campo Electorali decantavit. Supremus etiam Exercitus Polonici Dux, Illuſtriſſimus Stanislaus Iablonowſki, inſuper Caſtellanus Cracovienſis, Confoederatum contrahens militem, Contyſtarum ſedulo attendebat motus; ſed hi concitato greſſu ex campo in Civitatem properabant, Templum Ioanniticum ingredi cupientes, ut pro Electione Regis ſui Deo gratias perſolverent: illud vero a Nuncio Apoſtolico occluſum, nec recludi permiſſum fuit. Mox ſeqvuti ſunt falciferi tum temporis Sarmatae, & Civitatem ingreſſi, bombardas & ſclopeta aliquoties exonerabant in Palatium Cardinalis, aliorumque Contyſtarum, quibus in latebras & angulos dilapſis, in Templo Ioannitico laudes DEo decantatae, & circa horam ſecundam nocturnam, trina tormentorum bellicorum exploſione, debita reverentia erga Regem Electum, laetitiaeque ſigna edita. Inſimul Georgius Dorpowſki ad Electorem Saxoniae ablegatus, eidem nunciavit, ipſum eſſe electum. Die 28. Iunii Saxoniſtae in campum Electoralem regreſſi, novi Regis ſui Electionem confirmarunt, & Legati Saxonici propoſitiones accuratius ponderarunt. Die 29. in Monaſterio Martinianorum ſuburbano convene-

venerunt, & pro conscribentibus pacta Conventa iuramentum sequentis tenoris formarunt: *Ego N. iuro DEO Omnipotenti & Triuni quod deputatus ad configurationem pactorum Conventorum inter Rempublicam & Serenissimum Fridericum Augustum Electorem Saxoniae, liberis suffragiis Regem Electum, in me suscipio, liberaeque Electionis tuitionem circa connotanda pacta, sine ullo respectu & assentatione futuro Regnanti, commoda Reipublicae promovebo, salutemque publicam & securitatem iurium, privilegiorum & libertatum nostrarum, ut optime potero, observabo, nec ullis largitionibus me corrumpi patiar ita me DEVS adiuvet!* Contystae contra apud Monachos Bernardinos Conventus suos ad diem 5. Iulii prolongatos instituerunt, in quibus quaesti sunt, 1.) conculcatam esse Archiepiscopi Gnesnensis auctoritatem, cui soli competit de iure, nominare Regem: belli Imperatores non facere satis officio suo & iuramento, quibus incumbit, militem in finibus Regni (non in campo Electorali) continere, & si Regnum seditio invaserit, nulli parti adhaerere. 2.) Serenissimum Saxoniae Electorem non esse vere Catholicum, quod documenta variant, cum Orator Saxonicus Principem suum ante biennium Catholicam fidem Romae esse professum affirmet; Episcopi Lau-

rinensis contra testimonium asseveret, ipsum Badenae die 4. Iunii Lutheranismum eiurasse, & literae ipsius Electoris Badena eodem die ad Archiepiscopum scriptae testantur, quod non possit prius profiteri Religionem Catholicam, qvā de diademate Regio certus sit. 3.) Securitatem libertatum Polonicarum esse nimium laesam, cum enim Domus Ducum Saxoniae ius indigenatus in Polonia A. 1652. adepta sit, ultimam Confoederationem vetare, Piastum eligere in Regem: praeterea metum non esse vanum, quod Potentissima Saxoniae Domus bona terrestria emere, munisque Reipublicae exantiora in eandem inferre possit, unde potentia regnatricis Maiestatis libertatem Polonorum infringat: quod nimia Electoris Saxonici potentia, & cum vicinis Principibus foedera multiplicata, Reipublicae possint esse suspecta, utpote in oppressionem libertatis Sarmaticae vergentia. 4.] Diploma Electionis, scissa in partes Republica, Mareschalcum Equestrem non potuisse extradere, neque posse, propter iuramentum, quod praestitit, ideoque confirmationem Electionis maxime necessariam esse, quam in diem 6. Augusti indixerant, cum Nobilitas tota, quae ad Electionem Regis requiritur, in lares suos iam se recepisset. His tamen non obstantibus Contystarum querelis, Saxonistae die

die 6. Iulii literas universales, Electionem Regis Friderici Augusti Electoris Saxoniae denunciantes, publicarunt, in quibus insignem dolorem suum super scissione Reipublicae testabantur, insimul significantes, quod unum e Regia Domo in thronum evehere, & ab Electore suo recedere voluerint, si per Primatem Regni licuisset, qui contra expressum tenorem Confoederationis a se scriptae, contra iuramentum in voto suo ante hymnum praestito, privata factione actum Electionis praecipitavit, & contra Senatorum, Equestris Mareschalci, Deputatorum & Ablegatorum Protestationem, Principem de Conty nominavit Regem Poloniae; hunc autem cum non possint agnoscere Regem, tribus vicibus viva & expressa voce Reverendissimus Episcopus Cuiavienfis, nemine protestante & contradicente, Electorem Saxoniae proclamaverit Regem Poloniae & Magnum Ducem Lithvaniae, cuius dignitatem & securitatem sub honore, fide & conscientia, quin effusione sangvinis, in utraque gente luituri, quique contra hunc insurgeret, vel Electionem annihilare praesumeret, hostis patriae & perduellis esset. Dies 15. Sept. Coronationi simul Cracoviae praefixus, & Comitia Coronationis in diem 17. eiusdem Mensis indicta. Deputati quoque sunt plurimi ex

Senatu & Ordine Equestri cum denunciatione ad Serenissimum Augustum Ducem Saxoniae, Electum Poloniae Regem & Magnum Ducem Lithvaniae, qui d. 22. Iulii Diploma Electionis eidem Tarnoviciae offerre, eumque ad Regnum capessendum invitare deberent: caput Legationis huius erat Illustrissimus Ioannes Jablonowski Palatinus Volhyniae, cui Serenissimus Rex imperium in germanicum & extraneum militem supremum pro exhibito humanitatis & reverentiae officio contulerat. Interea scripserat Cardinalis ad Electorem Saxoniae eundem a throno Regio avocans; quia autem titulus indebitus in inscriptione literarum exaratus, resignatae illae non erant, quae alias huius argumenti fuerunt: *Serenissime ac Potentissime Princeps Elector. Post acerbam Reipublicae nostrae a morte defuncti nuper Ioannis III orbitatem, venit tandem exoptata dies, in qva, praeter paucos aliqvos, unanimi consensu in Regem nobis Serenissimum Principem Ludovicum Borbonium Principem de Conty elegimus. Qvia vero pusillus ille grex, suffultus auctoritate trium belli Ducum, Serenitatem Vestram involvere illegitima nominatione sua, calcatis iuribus, ac postposita auctoritate Primatiali,*

(qvae

(qvae unica sub Interregno) praesumsit; cum omni, qva par est, veneratione Serenitati Vestrae denunciamus, non esse hoc, nec fuisse mentis nostrae, ut Vestram Serenitatem heroicis facinoribus contra hostem Christianitatis impeditam, cura Regni nostri onaremus. Obnixe igitur obtestamur Serenitatem Vestram, ut istam parvam nominationem non adstruat pro universali consensu, imo pro innata magnanimitate sua, ex amore vicinitatis, nos circa liberam Electionem permanere cum Rege nostro permittat, nec veniat in mentem Serenitati Vestrae, belli Ducum nostrorum assensus & assistentia: qvo enim inter illos & Rempublicam maiores aemulationes, eo ipso propositum ab illis Regem non sine sensu acceptare possumus. Faciet Serenitas Vestra nomini suo ingentem gloriam, qvando nobis magis in concurrentiis prodesse, qvam praeesse dignabitur, cui devotissima nostra officia commendamus. Feria qvinta post Festum Margarethae in Castro Ravensi protestati sunt Contystae adversus Electum Regem Augustum, inter alia, quod uxor eius esset Calvinianae fidei, & pacta Conventa clandestine in Ecclesia Ioannituca expo-

sito venerabili Sacramento, hora sexta matutina, per Oratorem Dissidentem, alias Calvinum, non obstantibus solennibus Protestationibus, iuramento fuerint confirmata. Adversus quam Contystarum Protestationem fusius reprotestati sunt Saxonistae, in Curia Varsavienſi Regia, vigilia S. Iacobi, argumenta adversae partis explodentes quarum haec series erat. 1.] Quod Saxoniſtae semper studuerint quieti publicae, & cum Regiam Domum in Electione praeterire noluerint, tamen ob Principem de Conty eiusque Patronos facere nequierint. 2.) Quod in tota Contystarum Protestatione nullum esset veritati conforme punctum: quod enim obiicitur, Illustrisimum Episcopum Vladislaviensem & Pomeraniae prius fecisse nominationem Serenisimi Saxoniae Electoris, & actum Electionis praecipitasse, a veritate est abs num; cum in memoria universorum Palatinatuum recenter haereat, Reverendisimum Archiepiscopum prius nominasse Principem de Conty, atque e campo Electorali Varsaviam discessisse, deinde vero Saxonistas demum ad valla & tentorium accesisse, ac post aliquot horas, nemine contradicente, eundem nominasse Regem, ac etiam postero die eundem actum, quo stabilius & solidius ratihaberetur Electio, sub iisdem Electoralium Palatinatuum signis sustinuisse,

nuisse, ac omnium plausu in praesentia Legati Sereniſſimi Neo-Electi ſolemnem feciſſe. 3.) Abſonum, quod nulla Proteſtatio contra nominationem Principis de Conty interpoſita fuerit; cum vivant adhuc, qui id teſtantur; quin Mareſchalcus Comitiorum Electionis Diploma extradere noluit, quia tot Proteſtationes & Contradictiones vidit & audivit. 4.] Abſonum, quod Sereniſſimus Saxoniae Elector ad Sceptrum Poloniae capeſſendum non concurrerit; cum ipſe Primas Regni poſt alios Candidatos, ante hymnum: Veni Creator Spiritus! perſonam Sereniſſimi Electoris propoſuit. 5.] Abſonum, quod Sereniſſimus Elector non ſit Catholicus; cum oculus ſit viſurus, quod aures non audiunt. 6.) Abſonum, grave Primatiali praerogativae factum fuiſſe praeiudicium, quod non ipſe Sereniſſimum Saxoniae Principem nominaverit; cum hoc ab ipſo innocentes Reipublicae Status deſiderarunt. Cur ipſemet ſua ſe praerogativa privavit, & iure facultateque exuit? Cur ſeqvutus partes ſibi, non Statibus & Ordinibus, faventes? Cur debitum obligationis munus & iuramentum ſuum non obſervavit de non tentanda prius nominatione, antequam omnes in unum conſenſiſſent? 7.) Abſonum, quod pro partibus ſuis nullam Manifeſtationem interpoſuerint Contyſtae contra

iuramentum pactorum Conventorum, per Illustrem Saxoniae Legatum expletum; cum Manifestatio illa fit in Actis Castri Ravensis. 8.) Absonum, quod Saxonistae Rempublicam diviserint; cum potius deserti & relicti in campo Electorali a Primate suo, eversum statum, divisam Rempublicam, convulsa liberae Electionis iura cardinalia deplorantes, pro penitiore omnium informatione, non sine gravi doloris sensu, sequentes articulos deponant (a) Quod Legatus Christianissimi Regis Polignac, & alter Schatenef, Varsaviae tempore Electionis morati sint, & ille intima Status Polonici scriptis suis perstrinxerit, contra Leges Interregni fundamentales, ut Ministri exterorum Principum tempore Electionis Varsavia removeantur. (b) Quod ad actum & locum Electionis militares copiae inductae, & Tartari in Magnum Lithvaniae Ducatum, prout Nuncii Terrestres narrabant, irruptionem fecerint. (c) Quod Electio Mareschalci Equestris insolito more per calculos capitatim & viritim facta, in multas hebdomadas prolongata sit, ne prorsus temporis quicquam relinqueretur sanandis Reipublicae vulneribus, sed omnia vulnus essent. (d) Quod contra Sacramentum iurisiurandi Eminentissimus Cardinalis & Primas Regni literas Moscoviticas, Electionem Principis Galliae dissvadentes,

tes, apud se retinuerit, adeo ut secundas literas Ministeri Moscoviticus necessum habuerit a Principali suo in alias manus tradere. (e) Quod idem Cardinalis iuramento promiserit, se neminem nominaturum, qui non esset de omnium Ordinum consensu electus; attamen hoc postposito, nominationem sibi tantum & suis, non vero Statibus & Ordinibus Regni placentem, ad divisionem praevisam, perniciosam quidem in publicum, sed in privatum non inutilem, uno ictu confecerit, ideo partes Gallicae factioni obnoxias saepe obequitaverit, ad alias autem ne unicum gressum fecerit. (f) Quod idem audeat, facta iam Electione & nominatione Sereniſſimi Saxoniae Ducis, per Status & Ordines viritim confirmata, pactis Conventis ratihabita, & iuramentis comprobata, sine praeviis Particularibus Conventibus, sine consiliis in Palatinatibus ventilatis, Electionem Principis de Conty confirmare, infelicis Interregni tempora nolit cassare, & literas universales pro confirmatione Electionis Gallicae in die 26. mensis Augusti extradere praesumat. Ex quibus evidentibus ac palpabilibus rationibus & plurimis aliis, quas publicus zelus, sagacitas atque rectitudo optimorum Civium penetrare potuit, solenniter nomine Statuum & Ordinum Regni tuentium liberam Electionem,

nem, de nullitate factae enunciationis per Eminentissimum Cardinalem, uti violentae, ad scissionem praecipitatae, praesumtuosae, armatae, cohortibus militaribus stipatae prius, quam suffragiis Electorum probatae, indeque ius omnium liberae Electionis ad aliquos trahentis; tam de nullitate praefatae Manifestationis, uti mentalis, ex nullo vero obiecto candido; deque nullitate literarum universalium pro confirmatione Electionis, in diem 26. Augusti ad turbandam Rempublicam extraditarum; demum de nullitate quarundam literarum, Conventus Particulares licitos ac legitimos, quo in turbido omnia fiant, inhibentium, Iudicia vero Capturalia, quo perpetua Dictatura seu Triumviratus Interregni permaneat, unice commendantium; nec non de nullitate omnium similium scriptorum & actum inde subseqvendorum: de validitate vero factae Electionis pro Serenissimo Saxoniae Duce, uti innocentis, nec ante tempus modis & mediis procuratae, uti usitata a Maioribus praxi, per Congressum more militari Terrarum ac Palatinatuum statim in crastinum, assensu omnium ac plausu, nemineque contradicente, confirmatae, receptae, pactis & iuramento Ablegati Serenissimi Neo-Electi ratihabitae, tum quoque de validitate omnium Conventuum, solennitatum pro futura Coronatione iuxta Leges celebran-

branda, protestati sunt. Hac tamen non obstante Reprotestatione Michael S. R. E. titulo S. Mariae de Pace Presbyter Cardinalis Radzieiowski, Archiepiscopus Gnesnensis, Legatus Natus, Regni Poloniae & Magni Ducatus Lithvaniae Primas Primusque Princeps, die 21. Iulii literas universales ad Senatores, Dignitarios & Officiales misit, ut pro confirmatione Electionis Contysticae die 26. Augusti in campo Electorali inter Oppidum Wola & Varsaviam comparerent, quorum quidem vix mille aderant, ibidemque Confoederationem Generalem pro defensione fidei Catholicae & integritate libertatis sanxerunt, huius fere formae: *Nos Ordines Regni & Magni Ducatus Lithvaniae ad confirmationem liberae Electionis congregati, cum consensu partium Reipublicae firmiter statuimus sancimusqve. Sicut unicuiqve in libera gente nato, ductu ipsius naturae, inest ille libertatis amor, ut aeqve in illa sit gratum vivere, atqve pro illius defensione mori non amarum: ita nemini admirationem movere debeat, qvod pro tuitione eiusdem libertatis vitam & fortunas nostras in omnia discrimina offeramus, in solo DEO totam fiduciam nostram reponendo, qvod sicut clare videmus apertum periculum fidei nostrae per recentem introductionem*

ctionem in viscera Regni Catholici ex tot millibus conflatae militiae Acatholicis, ita idem Dominus exercituum apponet praepotentem manum suam, ut hoc Regnum a tot seculis sibi consecratum devotumque vindicet a tam foeda labe, & libertatem nostram etiam a Caelo ipso, filiorum DEI libertate aestimata, virtute omnipotentiae suae tueatur. Incidimus in ea secula & deploratam temporum calamitatem, ut tanto Maiorum nostrorum sangvine partae comparataeque libertatis potius desperare detur discrimen, quam beatum illius usum fructumque, quando Confratres nostri obliti sui, & patriae immemores, citra tot ex integris Palatinatibus solemnes contradictiones proclamarunt Regem. Atque ideo huc convenimus, non temnendo numero ex utraque gente & ex omnibus Palatinatibus, ad confirmationem liberae Electionis, cum eo voto & desiderio, ut patriae desideratam tranquillitatem pacemque adferremus, & liberae Electionis intaminatam tuitionem conservaremus. Verum quando tantam seriem malorum supremum malum comitetur, cum palam sit uni-

versis

versis Reipublicae Ordinibus, perculcatas Regni Leges, permittentibus tam Arcis Regiae qvam Vrbis Cracovienſis Gubernatoribus, a parte contraria in viſcera Regni introductum eſſe Candidatum, & inſignia Reipublicae, per Legatos nulla auctoritate legitimos, in contemtum Eqveſtris Ordinis extradita; extraditum item Diploma Electionis cum ſubſcriptione nonnullorum Senatorum; [cuius extraditionem ab Illuſtr. Domino Mareſchalco Comitiorum Electionis conſentientibus Ordinibus Regni ratam conſervatamqve voluerunt] porro qvod enunciatio nullo iure ab Illuſtriſſimo Epiſcopo Vladislavienſi emanavit in lucem, & in illa Comitiola intimata Coronationis ſolemnia, Comitia Coronationis in everſionem iurium cardinalium promulgata, recte ſentientes de Republica pro hoſtibus patriae declarari, (qvod praeſenti Confoederatione caſſatur & annihilatur) pacta conventa nec ipſis qui fecerunt laudata, (ut ſubſcriptiones cum Proteſtationibus teſtantur) conſcripta, & ad iuramentum circa conſcriptionem eorundem, inaudito exemplo, Nobilitas coacta: eadem pacta a Diſſidente in

Templo

Templo coram venerabili iuramento firmata; Vrbi & Regia Cracovienſis Diſſidentibus tradita & inſeſſa. Propterea pro re indigna nobili ſangvine, & libertati Polonae praeiudicioſa factum hoc reputando, & videndo manifeſtam ruinam libertatis noſtrae Polonae, conſentientibus univerſis Regni Ordinibus, pro ſancta fide, pro templis, & libertate defendenda Generalem hanc Confoederationem amplectebantur, & tam dia ſanctum hoc foedus (qvod ſub fide, honore, & conſcientia ad ultimam ſang-vinis guttam tueri voluerunt) non diſſoluturi, qvousqve illaeſam in ſuis iuribus non conſtituent Rempublicam. Inſuper non ſine acerbiſſimo cordis ſui dolore percipiebant, iam eſſe liberum fidei Lutheranae exercitium in aliqvot locis Cracoviae, imo & conciones a Miniſtris Lutheranis palam fieri; hinc collegerunt, qvid ſperandum eſſet? ſi ad Regnum venerit, pluribus adhuc millibus comitata Ae catholicae militiae. Sereniſſima Electrix in ſuo Lutheraniſmo pertinaciſſima, qvanta inde clades Religioni Romanisque ſacris imminebit? Vt vero meliori methodo praeſentes Actus ordina-

ordinarent, elegerunt pro Directore Foederati Ordinis Equestris Illustrissimum Stephanum de Rycht Humecki Dapiferum Podoliae, additis eidem Consiliariis ex quolibet Palatinatu & Terra, qui ad latus eius perpetuo commorando, unius aut plurium absentia non obstante, consilia mature expedirent, & quicquid praedicti Deputati cum Mareschalco Confoederationis, communicato consilio cum Illustrissimo Senatu, statuerint, id pro grato & rato acceptare parati essent, modo in praeiudicium libertatis non foret. Deinde eodem Confoederationis Generalis vinculo obligarunt sibi Senatorium Ordinem, tanquam Patres Patriae & prima Regni columina, probaruntque soli Eminentissimo Regni Primati debitam Legibus potestatem, ab Episcopo Vladislavienſi sibi contra expressa Regni iura fuisse vendicatam, allegantes Constitutionem Sigismundi Augusti A. 1550. cuius verba haec sunt: *Inprimis circa Coronationem Regum Poloniae ita statuimus, quod neme coronari debeat in Regem, qui non sit prius ab omnibus Ordinibus libere iuxta Privilegia Poloniae a Regibus data, electus, quem ita libere electum nullus alius coronare debet, praeter Illustrissimum & Reverendissimum Archiepiscopum Gnesnensem.* [iuxta Privilegium illius a Casimiro III. A. 1451. concessum] Ex Constitu-

stitutione in confirmatione Electionis Stephani Bathori A. 1579. sancita sequens citabatur Lex: *Cum hoc pro nobis habeamus ex immunitatibus & legibus nostris, quod nobis neq; nominatio neq; alicuius publicatio Regem imponat, proinde reassumimus cum consensu omnium Ordinum Consilium ad latus Primatiale ex Ordine Senatorio, qui praesentes sententias suas conferre debent cum Mareschalco nostro, & nihil concludere absque mutuo utriusque subsellii consensu; unde necessarium iudicamus esse, ut vel in una Vrbe utraque haec consilia firmentur, vel saltem in locis vicinis, cum debita tam personarum quam consiliorum securitate.* Concesserunt praeterea in casu ingruentis periculi, ut possint extradi universales literae pro publico Nobilitatis motu evocandae, cum subscriptione Primatis Regni & Mareschalci Rokossiani exercitus, quae pro tertia evocatione reputari deberent, quandoquidem praesentem Confoederationis huius denunciationem pro prima & secunda ratione invitationeque haberi voluerunt. Huius Mareschalci personam & fortunam suis pectoribus & fortunis tueri, nec ullum deserere iuramenti vinculo se obligarunt. Ad expensas illius extraordinarias tam Regni quam Magni Ducatus Lithvaniae thesaurum dispensarunt. Insimul expedierunt Legatos, Maiorum vestigiis insistendo,

stendo tam ex Senatu quam Equestri Ordine, ad Sereniſſimum Electorem Saxoniae, cui laesionem libertatis & iurium deferrent, nullos apud eum exorsuri tractatus. Si quis autem ad defensionem Religionis & libertatis noluerit ab adversa parte ipsis accedere, sed violentis consiliis libertatem eradicantibus se immiscuerit, pravumque suum hoc propositum post denunciationem huius Generalis Confoederationis non mutaverit, & Coronationi contra iura Regni per Reverendiſſimum Episcopum Vladislavienſem administrandae interesse praesumserit, (quam illi Coronationem pro nulla & irrita habuere, sicut & omnia alia sancita, ipsamque denunciationem, & alios quosvis actus habuerunt) tunc quemvis eiusmodi pro hoste patriae declararunt, arma contra illum stringere parati. Coaequationem iurium Magni Ducatus Lithvaniae, tanquam contrariam eius Statui, abrogarunt, quod tolleret omnia ministeria Reipublicae & unanimem omnium Ordinum concordiam, violando Legem positivam Constitutionis Magn. Duc. Lithv. in cap. 3. art. 15. Denique omnes coram Omnipotenti DEO iurarunt, quod unus alium constantissime sit tuiturus, & uterque Ordo tam Senatorius quam Equestris sub protectionem suam unumquemque, qui a partibus Contysticis staret, sit

accepturus; quodsi vero quisquam cum parte contraria compositionem moliri auderet, quilibet eum pro infami & hoste patriae esset declaraturus. Subscripserunt hanc Confoederationem duo tantum, utpote Cardinalis Radzieiowski, & Humecki Mareschalcus Rokossianorum. Res Polonorum dubio tum vertebantur cardine, nisi Coronatio Augustissimi Regis, quam Episcopus Vladislavienſis in diem 15. Sept. indixerat, finem omnibus fere malis imposuisset, de qua, item de pactis Conventis, antequam nonnulla in medium proferamus, primis veluti digitis adventum Principis de Conty, cum Ioanne Barth Archipirata navibus quinque ad Oram Olivensem vecti, tangemus, ut alios pasqvillos seu famosos libellos, germanico idiomate in eum cusos, sileamus. Is, postquam mense Sept. ad littus maris Balthici appulisset in classe sua sub Oliva, die 5. Octobr. An. 1697. scriptum evulgavit, Polonorum & Lithvanorum favoribus se insinuando, estque huius commatis: *Franciscus Ludovicus de Bourbon, Princeps de Conty, DEI gratia & affectu inclytarum nationum Serenissimae Reipublicae Poloniae & Magni Ducatus Lithvaniae in Regem Electus, Eminentissimo Primati, Excellentissimis, Reverendissimis, Illu-*

Illustrissimis Senatoribus Regni, tam Spiritualibus qvam Secularibus, Dignitariis, Officialibus, & Nobilissimo Ordini Equestri, tam Regni qvam Magni Ducatus Lithvaniae, & omnibus qvorum scire interest, post intimam promtissimi, cum erga universos, tum erga singulos, ad bene merendum de omnibus, affectus nostri contestationem, significamus praesentibus. Vt primum ad littus maris Balthici prope Gedanum classis nostrae iecimus anchoras, non prius Regni limites ingredimur, qvam debitam gratitudinem cum omni reverentia Serenissimae Reipublicae publico hoc nostro scripto contestemur, offerendo promtitudinem nostram, & constaatem inclinationem ad obsequium Regni huius toto orbe celeberrimi. Qvodsi non ita cito, ut debita pro suffragiis in Electorali campo acceptis requirebat gratitudo, comparemus, non aliqva negligentia nostra in causa est, sed religiosa Legum huius Reipublicae observantia, cui ex gratia DEI & affectu Electoris populi servire & praeesse debemus. Haec modestia nostra non superaddit ullam praerogativam parti contra-

ria, sed nostram confirmat; nam advertinon debet, quis nostrum tardius advenerit, sed qui iustius. Firmum enim nostrum propositum fuit, concessa a Sereniſſimis Poloniae Regibus iura in Interregno servare, & ne in minimo puncto violare: & si fuisset in oppoſita parte moderatio nostrae similis, pupilla haec iurium cardinalium circa liberam Electionem in integro fuisset conservata; quia nunquam properassemus ad capessendam in sessione Regni, relinquendo decisioni Electoris populi hanc determinationem: verum postquam vidimus omnia cum Legibus eversa, exigebat a nobis gratae mentis obligatio, pro affectu huius Reipublicae erga nos, ut vindicaremus libertatem, quam Sereniſſimus Elector Saxoniae ex ipsis propecardinibus videtur penitus subruisse. Nunquam enim sperabamus tantam violentiam inferendam Regni Legibus ac indemnitati libertatum, ideoque quantumvis pariter, item longe perfectius, ab Electore populo proclamati, procul a finibus Reipublicae confirmationem liberae Electionis praestolati sumus, & expectassemus diutius, si nobis signifi-

gnificatum non fuisset, quod tot tamque solennes contradictiones, neque confirmatio liberae Electionis, neque demum ipsa totius Nobilitatis Confoederatio pro tuendis libertatibus instituta, tam violentam fraenare debeat ambitionem, quae volando ferme, non eundo, properabat ad thronum. Quando nihil prisci ac integri moris observando, in limitibus Silesiae ad finem Electionis, quasi in spem futurae scissionis excubatum vigilatumque est. Accessit Regalis tituli post primam notitiam illegitimae Electionis, non obstante Eminentissimi Primatis praecustoditione, praecox usurpatio, contra antiquam praxim Legis, non ab illis, qui ab integra Republica ante scissionem designati fuerunt, sed a privatis pacta Conventa composita, & prius a Ministro Haeretico ante SS hostiam, deinde ab ipso Serenissimo Electore iuramento firmata. Legatio, novo in Republica exemplo, & eius detrimento, acceptata: finium Regni cum exotico & Acatholico milite transgressio, Arcis Cracovienſis simul cum Vrbe occupatio: reliquae solennitates contra omne ius & fas in militum comi-

tatu, Regibus Poloniae legitimis prorsus insolito expeditae: auditi exterorum Principum Legati: vacantes Regni dignitates distributae, & ad Coronationem, nulla non violata lege, properatio facta, & non consideratis tot Protestationibus, quae contra nullitatem actus dictae scriptaeque fuerunt, sine clavibus & privilegiatorum lege publica Senatorum praesentia Archivo reserato, thesaurus Regni per vim effractus, & simul veneranda legum potestate fracta, gratissimo olim iure vetandi, quia pretioso sanguine Nobilitatis Polonae comparato, funditus everso, nulla relicta semita ad reparationem violatarum legum & laesae libertatis, tandem ad ipsius Coronationis, solemnia ventum est. Horum igitur omnium sive iam actorum, sive in proximo agendorum, accepta notitia, non licuit nobis longius differre adventum nostrum, & deesse illorum desideriis, quibus cordi est antiquissima Serenissimae huius Reipublicae libertas, & qui nos cum tot Illustrissimis utriusque gentis Senatoribus & simul integris compluribus Palatinatibus elegerunt, atque illius ore, cui

per

per Leges competebat, nominarunt. Non licebat nimirum permittere, ut Regnum hucusque liberum, vestigiis Hungaricae Bohemicaeqve Reipublicae ex odio privatorum & vicina potentia funditus eversae ad similem crisin propiraret; movimus proinde Dunkerka post maturam deliberationem d. 7. Sept. ut possemus in tempore opportuno gratificari Serenissimae Reipublicae Ordinum suffragiis, non inferendo ullam violentiam Regno, Legibus, & Libertati; sed ut vitam nostram & sangvinem Regi Regum, & Poloniarum Regno, quod nos Regis titulo dignatum est, pro sancta Religione & Libertate immolemus. Nam quicunque demum res e Legibus veritatis aestimabit, facile concludet, quod nunquam alias ab ulla potentia tantum periculum fuerat, qvantum nunc Regni huius Religioni Libertatique immineat. Qvando igitur DEus O. M. ex infinita bonitate sua per tot viarum discrimina, & vel sola cogitatione formidanda incommoda, huc nos deduxit feliciter, subsistimus in classe nostra, & in mediis inqvieti maris fluctibus, malumusqve diutius maris autumniqve iniu-

rias ferre, non parcendo valetudini, ut hac noſtra patientia ſubmiſſam Legibus Regni obſervantiam clarius probemus, expectando compellationem illorum, qui reſuſcitare emortuam libertatem ſub vindiciis noſtris ſincere deſiderant. Vbi non modo ſpem certam, ſed & ſpei firmam fiduciam facimus, qvod non tantum in huius Regni ingreſſu, ſed in ulteriore quoque Reipublicae gubernatione, velimus praeſtare, ut nec unam jota, nec ullus apex de lege praetereat. Non illa enim via incedemus, quae velut ſigno ad permiſcenda omnia dato, cuncta ex libidine agenda ducit; ſed propoſitum nobis eſt, reſuſcitare Sereniſſimorum Stephani & Sigiſmundi Poloniae Regum praeiuaicata, & nihil agere, qvod ſit poſtea excuſandum. Hoc in primis omni ſtudio efficere conabimur, ut faventibus Superis & libertatem & internam tranquillitatem reſtituere poſſimus, ut nulli pro praeteritis vitio vertendo, omnibus libere ſentientibus ignoſcendo, adaucere affectu noſtro univerſos & ſingulos poſſimus, ad egregium humani animi ab odio ad gratiam deflexum, unice optantes, ut poſtquam ad littus

deſcen-

deſcenderimus, ex mari, qvod fert uniones, pretioſorum animorum unionem, ſimul cum Religione & Libertate poſſimus invenire vel inferre, ne aut Reſpublica aut qvispiam ex incolis pullam veſtem ex noſtra occaſione induat. Nunquam enim fuit, neqve eſt noſtra intentio, ut per tumultus Electoris populi thronum Poloniae conſcendamus, qvemadmodum Sereniſſimus Elector Saxoniae, qvi ab aliis nationibus petit ſuppetias contra Polonos, ut per illorum ſubactas cervices Regno potiatur, cuius rei teſtes authenticas habemus literas, cupimusque eas palam in Acta referri. Hinc facilem ex praemiſſis Polona libertas elicere poteſt concluſionem, qvid illi ſperandum in arido, ſi haec fiunt in viridi? Non inducimus Regni limitibus externam militiam, qvamvis & haec praeſto eſſe nobis poſſet. Hi in equis, & hi in curribus, nos autem in Nomine Domini, nimirum in DEO in primis deinde in affectu Sereniſſimae Reipublicae, pro Religione & Libertate tuenda, ſpem noſtram & intentionem collocamus: ſatis erit virium, ſi ſatis animi. Si tamen plus poſtulaverit neceſſitas, parati ſumus tan-

tum

tum comparare virium, qvantum possit sufficere circumstantiis; qvanqvam non optamus, ut tam pretiosus Polonae Nobilitatis sangvis effundatur, qvin imo ardentissime omnes in genere, & singulos in particulari, obtestamur, ut qvandoqvidem neqve vestis, qva tegimur, componi possit, non exercendo manus, si ut memores etiam adversae partis, eos esse confratres, propterea nullas hostilitates ad invicem excitent, securitati domorum Nobilium, & integritati bonorum tam spiritualium qvam secularium, & aliorum diligenter provideant, qvia hac ratione libertatem sentiendi conservabunt, declinando similes actiones, qvae parem causare possent Nobilissimi sangvinis effusionem, qvam DEus avertat. Revocamus simul in memoriam utriqve genti reflexionem illam magnorum in hac Republica Senatorum, qui semper formidabant vicinam Germaniam, non item tot terrarum spatiis distinctam Galliam perinde susceptam habuerunt. Haec enim semper plus prodesse Regno, qvam nocere potest, & potius galea pro defensione sanctae fidei & libertatis dicenda qvam Gallia. Con-

fidee

fideretur tantum diligenter ab omnibus, qvam toto coelo sint diversae actiones illius partis a nostris, & neminem fore arbitramur, qui non moveatur contra, & nobis potius adhaereat, qui procul omni ambitione, sola bene merendi de omnibus voluntate, ad defensionem Religionis & Libertatis descendimus, tot suffragiis invitati. Minime nos movet praecipitata contra Leges Regni coronatio, nam qvod ab initio invalidum fuit, tractu temporis firmari non potest: facienti qvae non debet, accidunt qvae non credit: in malo fundo erecta domus, sensim ruat, necesse est: in ruinam prona sunt, qvae sine fundamento crevere: bono exitu coronari non possunt, quae malo nituntur principio. Pacta conventa iuramento confirmata ex beneplacito tam scribentium quam iurantis, Coronationem hanc illegitimam reddiderunt; nam illa clare hoc punctum continent, quod ad Coronationem accedere non deberet Serenissimus Elector Saxoniae tam diu, quam diu Serenissima Electrix veram non amplecteretur Religionem, idque sub nullitate Electionis: & ideo originale pactorum conventorum

rum non est productum, quantumvis zelantissimi pro fide sancta & libertate Cives magna contentione requirerent, nam in ipso limine contra tot puncta peccatum est. Non dubitamus igitur, quod haec nostra declaratio, quam omnibus palam esse volumus, excitabit pristinum in cordibus inclytae gentis maiorum suorum Zelum, qui olim bona sua, imo vitam etiam pro conservatione aureae libertatis & patriarum legum facile impendebant. Quia nos huc advenimus, non tam ad capiendum Regni Diadema, quod nobis Respublica detulit, quam ad defensionem liberae Electionis, & ad ferendas vindicias sanctae fidei & oppressae libertati, pro cuius securitate vitam & sangvinem parati sumus consecrare. Datum in classe nostra sub Oliva, die 5. Octobr. Anno 1697. *Franciscus Ludovicus. Locus Sigilli.* Conatus tamen Contystici eorumque adiutores ab Illustri Michaele Barone de Brand, Supremo militiae Germanicae Praefecto dissipati sunt: ipse quoque Princeps de Conty, raptis aliquot Gedanensium navibus, rebus infectis in Galliam remeavit. Nunc pactorum Conventorum praecipua tantum dabimus argumenta. Ad illa con-

conſcribenda ex Senatorio & Equeſtri Ordine Deputati erant quorum iuramentum talis formae fuit: *Ego N. iuro Deo Omnipotenti & Triuni, quod deputatus ad compoſitionem pactorum conventorum inter Rempublicam & Sereniſſimum Fridericum Auguſtum Electorem & Ducem Saxoniae, liberis ſuffragiis Electum Regem, ante omnia recipio in me liberae Electionis tuitionem, quam circa annotanda pacta promovebo, ſine ullo reſpectu & aſſentatione futuro Regnanti, nec privatum, ſed pure tantum publicum bonum & ſecuritatem iurium, privilegiorum ac libertatum noſtrarum, de optima forma & fundamento munitarum, respiciam, neque largitionibus cuiuscunque generis corrumpi me patiar; ita me Deus adiuvet, & innocens Chriſti Domini Paſſio!* In his itaque pactis conventis Electus noviter Rex ſanctiſſime promiſit. 1.) Quod ipſe cum coniuge ſua ante Coronationem fidem Romano-Catholicam cum omnibus ſolennitatibus profiteri, eamque fideliſſime ad tempora vitae ſub nullitate Electionis ſervare vellet. 2.) Quod titulum Haeredis, eiusque ſucceſſores uſurpare, & Domus Regia ullam ſucceſſionem praetextumque proximitatis ad Regnum ſibi praeſumere non vellet. 3.) Quod inter Diſſidentes in Religione Chriſtiana, quorum non pauci in Regno, Lithvania & Ruſſia eſſent, perpetuam

pacem

pacem constituere vellet, non obstantibus quibuscunque Protestationibus adversus Religionis Confoederationes factis, exceptis Mennonistis, Anabaptistis, Qvakeris, & Arianis, qui ad ius hoc non pertinerent, neque illis dignitates ullae conferendae essent. 4) Iuramentum & pacta Conventa prima die quorumlibet Comitiorum, loco Marescalcalium articulorum, in praesentia omnium Ordinum, clare, articulate, distinctisque verbis legi deberent, & cuilibet licitum esset, Regem libere monere, in quo exorbitatum. 5.) Quae praemissa sunt pro promotione in Regnum, nullitatis essent. 6.) Pro dignitatibus & vacantiis, tam spiritualibus quam civilibus, praemia nulla accipere vellet, & qui ex Civibus pro aliquo officio offerre aliquid auderet, ille non modo ea dignitate carere, sed & eo ipso pro incapaci haberi, & ad instantiam cuiusvis Nobilis in Tribunalibus accusari deberet. 7) In unam familiam eiusdem nominis suprema Status ministeria, ut sunt Belli Ducum, Cancellariorum, Marescalcorum & Thesaurariorum, non essent inferenda, eaque solis bene meritis, aetate vigentibus & indigenis conferenda. 8.) Quod uni domino vel viduae duo Capitaneatus opimi simul non essent concedendi, salvis modernis possessoribus 9.) Regina in negotia Status Reipublicae per se & subor-

subordinatas quasvis personas se immiscere, vel quenquam ad dignitates promovere non deberet: item Ministris maioribus & minoribus duo simul officia non committenda, nec duo privilegia ad unum officium extradenda. 10.] Dignitates spirituales & saeculares, officia utriusque ritus Graeco-Vniti & eorum privilegia pacifice conservare vellet. 11.] Vacantias extra tempus Comitiorum intra sex hebdomadas, in Comitiis vero ante omnia indigenis, paritate iuris gaudentibus, bene meritis, aetate & discretione vigentibus, utriusque gentis & annexarum Provinciarum iuxta iura earum conferre deberet. 12.] Pacta & foedera cum vicinis Principibus, sine praeiudicio tamen Reipublicae & avulsarum Provinciarum, servare, avulsa autem a dominiis Reipublicae recuperare vellet. 13.] Monetae restauratio non ex Senatus Concluso iuxta Constitutionem A. 1631. instituenda, sed ad Comitia Generalia tantum differenda, post quorum deliberationem domus monetariae aperiendae, inque iis moneta aurea & argentea iuxta ligam Imperii ac vicinorum Principum condenda. 14.] Legati ad exteros Principes non mittendi, nisi Nobiles bene possessionati ex utroq; Ordine: Instructio eorum publice in Comitiis ex Senatus Consulto scripta per Cancellarium legenda, ac expeditio in Co-

mitiis praesentibus omnibus Ordinibus promulganda. 15.) Exterus, atque nullus e familia Saxonica ad Indigenatum admittendus, sed ii tantum, quorum virtutes & merita in Rempublicam probata; novis vero creatis Nobilibus officia & beneficia non nisi ad tertiam progeniem conferenda, neque exteri ad consilia & dignitates iuxta Constitutionem A. 1607. promovendi. 16.) Clenodia usurpare, & thesaurum Regni aperire, nec ex Senatus Consulto concessum, nisi cum speciali totius Reipublicae consensu: post fata autem Regis Successores Domus Saxonicae iuxta inventarium ea, quae ex thesauro Rex exemit, reddere deberent. 17.] Aula Regia ex Polonis & Lithvanis, usque ad infimos Ministros, e Regio thesauro alendos, constaret; Reginae item Gynecaeum e Nobilitate Polona esset, exceptis quatuor, quas propio sumtu sustentare vellet. 18.) Custodes Regii corporis ex Polonis & Lithvanis ultra mille & ducentos ex consvetudine Antecessorum non haberet, aere propio sustentandos, quorum Dux esset Nobilis Polonus. 19.] Reginae Viduae eiusque filiorum bona omnia in integro servanda, salvis utrinque tam Reipublicae quam Sereniſſimae Domus Regiae Successorum praetensionibus, & ab ipsis iuramentum fidelitatis Regi & Reipublicae praestan-

standum: cognito quoque causae filiorum Regiorum ad Regem & Comitia spectare deberet. 20.] Literae tantum polonica vel latina lingva scribendae, nec Privilegia privato Sigillo, sed Regni vel Magni Ducatus Lithvaniae obsignanda. 21.) Capitaneatus duo ex primis vacantibus ad Regem reducendi, qui quotannis triginta millia florenorum reditus faciunt, ex Constitutione A. 1689. 22.) Peregrinus miles sine speciali consensu & scitu Reipublicae ad Comitia non introducendus, nec bella offensiva gerenda, & qui id faceret, perduellis ac hostis patriae esset. 23.) In Regio Iudicio causae ab Antecessore Rege nondum decisae, tertio quovis die continuandae, & iuxta pluralitatem votorum diiudicandae. 24.) Gravamina & praeiudicia Prussiae in Comitiis Coronationis plene & irremissibiliter decidenda, nec proventus Reipublicae ab ullo administrandi, nisi qui Nobilis mere possessionatus esset. 25.) Depositoria mercimoniorum extra limites Regni evectorum, intra Regnum, & ad pristinum usum rigoremque reducenda. 26.) Palatinatuum utriusque gentis incorporatarum Provinciarum privilegia & iura confirmare, tertia quaevis Comitia in Magno Ducatu Lithvaniae ex Constitutione A. 1673. celebrare & sedem Regiam propter antiqua iura in visceri-

bus Regni vel Magni Ducatus Lithvaniae habere vellet. 27.) Comitia exorbitantiarum pro earum medela, & alia Comitia Equestria propter Nobilium omnium tuendam immunitatem, celebranda. 28.) Iudaeis nulla functio in teloneis, administrationibus, & aliis Regni negotiis concedenda. 29.) Iura omnium Civitatum & Oppidorum utriusque gentis in Comitiis Coronationis confirmanda. Denique 30.) ut alia sileamus, quae iam in propositionibus supra ab Ablegato Sereniſſimae Reipublicae oblatis enucleavimus, ius stapulae Gnesnae & Thorunii exercendum esset, de quo tamen in Comitiis Coronationis uberior deliberatio. Haec erant pacta conventa, quibus nisi Rex satisfecerit, incolas utriusque gentis ab obsequio & fide iuxta Constitutionem A. 1609. se absoluturum sancte promisit. Eadem saepe laudatus de Flemming die 27. Iunii iuramento confirmavit, iuxta rotam eiusmodi: *Ego Jacobus Henricus spondeo & sancte iuro ad haec sancta Christi Evangelia Domino DEO Omnipotenti in Sancta Trinitate Vni, quia hos omnes articulos pactorum conventorum, quos cum Ampliſſimis Statibus Regni & Magni Ducatus Lithvaniae annexarumq; Provinciarum ac universa Sereniſſima Republica, Nomine Sereniſſimi Electoris Saxoniae, nunc vero Electi Poloniarum Regis & Magni*

Ducis

Ducis Lithvaniae, Russiae, Prussiae, &c. &c. Domini mei Clementissimi, in praesenti Electione constituimus, transegimus & concluſimus, Serenissimus Elector Saxoniae, nunc vero Electus Poloniae Rex, in omnibus & singulis eorum punctis, clausulis, ligamentis & conditionibus, ita ut nec generalitas specialitati, nec specialitas generalitati deroget, ratos habebit, sacrosancte observabit & manutenebit, & confirmabit, & adimplebit, illosque iuxta instrumentum denuntiationis sacramento iuramenti confirmabit; sic me DEus adiuvet, & haec sacrosancta eius Passio! Iuramento confirmatis tum a Saxoniae Legato Extraordinario cum ab ipso deinde Rege pactis conventis, dies Comitiorum 6. Augusti & 15. Sept. Coronationi erat denominatus, ringentibus licet Contyſtis. Ipse ElectorSaxoniae die 12. Sept. Cracoviam eques ingressus, appenso ad pectus adamante, qui 14 millionibus Rhenanicis aestimabatur, eo ipso die, quo glorioſiſſimae memoriae Ioannes III. Viennam A. 1684. ab obſidione Turcarum liberavit. Die 13. Sept. exequiae Ioannis III. ſolemniter ſumtu Saxonico peractae, adeo ut novus Rex in Miſſas ſolas decantandas mille Imperiales impenderit: Orationem funebrem latino idiomate habuit Canonicus Cracovienſis Kurdwanowſki. Die 14. Sept. pedes cum Clero & Comitatu ſuo

aulico militarique ad Capellam & sepulchrum D. Stanislai Rex processit. Ante hoc Templum arcus triumphalis erat erectus; elevato loco, imago S. Michaelis Archangeli posita, depresso, effigies Sereniſſimi Regis, mediante inscriptione: Protegam eum quoniam cognovit nomen meum. Ad dextrum latus erat effigies D. Stanislai, cum inscriptione: Aurea Sarmaticis redeunt iam secula Regnis. Ad sinistrum latus erat effigies S. Pauli primi Eremitae, cum epigraphe: Surgit in Auguſto pietas rediviva Secundo. Die 15. in Templo Cathedrali ab Episcopo Cuiavienſi Stanislao Dąmbski solenniter coronatus est, & ante ipsum unctionem in gradibus altaris pacta conventa subscripsit. Praeferebat ensem evaginatum Regni Ensifer, aureum pomum Maioris Poloniae Generalis Raphael Leszczynski, sceptrum Ioſephus Boguslaus Słuska Castellanus Vilnenſis & Magni Ducatus Lithvaniae militiae Dux Campestris, coronam Felix Potocki Palatinus Cracovienſis, in albis culcitris gestabant. E theatro numini in populum spargebantur, in quorum una parte erat sceptrum in corona cum ense decussatim posito, cum inscriptione: Reget & defendet: in altera parte effigies Regis, cum titulo & expressione diei Coronationis. Die 16. Sept. in foro Cracovienſi more solito

a Ma-

a Magistratu Civitatensi iuramentum praestitum, ipse Rex posuit super librum oblatum manum suam in signum approbationis & confirmationis iurium, & decem personas e Magistratu, ter quamlibet ense Regni leviter percutiendo, Nobiles creavit. Peracta hac solemnitate, vinum in quatuor fori angulis veluti ex cisternis profluxit, & quatuor boves integri in ligneis verubus assati inter plebem & militem divisi sunt. Coronationis deinde Comitia habita sunt, & intra dies quatuordecim feliciter finita. Confer. *Mercurius Polonus germanicis typis in 4to.* item, der Sarmatische Wahl-Schoppen, *in Electione Friderici Augusti*, & scripta illa quae passim in hoc Interregno citavimus.

§. XVIII. Post Coronationis solennia Vicariatum Primas Regni deponit, (anno 1698. mense demum Maio depositus) Senatores, Nuncii Terrestres post novum electum Mareschalcum nomine totius Nobilitatis, Civitatum quoque Deputati, iuramentum fidelitatis praestant. Ad Civitates autem Prussiae Serenissimus Rex pro recipiendo iuramento Commissarium mittit, qui nuper erat Reverendissimus Georgius Albrechtus Dehnhoff Episcopus Praemislienſis & Magnus Regni Cancellarius. Tunc etiam Rex Coronationem suam exteris

Principibus significat, ut in ultimo Regno factum est, quando Coronationem suam Serenissimis Regibus Daniae & Angliae & Electori Colonienſi die 20. Sept. significavit. Per literas etiam Vniversales Palatinatibus, Districtibus, Terris & Civitatibus eandem denunciat, & Iudicia omnia Castrensia ac Tribunalia celebranda esse declarat: dat praeterea literas iuramenti a se praestiti, & aliud Diploma, quo omnium iura & privilegia confirmat. Denique Comitia Coronationis habentur. Quandoquidem etiam iura Regiae Maiestatis demum post Coronationem exercentur, ideo etiam eousque durat Interregnum: quod vero nuperrimum longius protractum fuerit, ansam praebuerunt Rokossiani seu Confoederati milites, qui inter alia Regi iam Electo proponebant puncta: 1.] Vt testimonium de fide Catholica Roma adferret 2.) Vt Regina esset Catholica. 3.) Saxonia ad fidem Romano-Catholicam adduceretur 4.) Provinciae avulsae incorporarentur. 5.) Vacantiae dignitatum cum privilegiis inter Confoederatorum Magnates distribuerentur 6.) Pacta conventa a parte Rokossianorum formarentur. 7.) Dignitates per annum integrum & dimidium vacantes, accessoribus redderentur. 8.] Miles exterus e Regno relegaretur. 9.] Exercitus Caesareus in Poloniam

am introductus inde educeretur, & in compensam Caesar Romano-Germanicus Polonico militi pro aestivis & hybernis Ducatum Oppoliensem & Radziborienſem concederet. 10.) Exteris nullae dignitates conferrentur. 11.] Indigenatus Electori Saxoniae datus modo ad hanc ipsam lineam pertineret. 12.) Titulus Electoralis abrogaretur. 13.) Damna ab exercitu Saxonco incolis ex thesauro refunderentur. 14.) Praefecti custodiae corporis Regii essent Romano-Catholici. 15.) Alienigenae, praeter eos, quibus Rex & Respublica maxime egent, e Regno pellerentur. 16.] Bellum Gedanensibus indictum a Gallo quem finem esset habiturum. 17.) Episcopus Cuiavienſis iudicaretur, nec in posterum Coronationem peragere praesumeret. 18.] Per Supremum militiae Germanicae Praefectum de Brand eiusque exercitum incolis Regni illata damna refunderentur. 19.) Quo ausu thesaurus Regni esset apertus. 20.) Bona spiritualia in integro conservarentur. 21.) Decreta Tribunalia stante scissione abrogarentur. Ad singula haec puncta breviter & acute a Sereniſſimo Rege responsum est, & quidem ad 1.] Importuna quaestio solvitur silentio. Ad 2.) Ad pacta conventa recurro. Ad 3.) Vltra posse nemo obligatur. Ad 4.] Nemo dat, quod non habet. Ad 5.) Felix Possessor. Ad 6.) Entia non sunt multiplicanda

praeter neceſſitatem. Ad 7.) Felix labor, quem praemia digna ſeqvuntur. Ad 8.) Sat cito, ſi ſat bene. Ad 9.) Non tentabis. Ad 10.) Lege cautum. Ad 11.) Hoc eſt, quod Auctor voluit. Ad 12.) Sufficit corona. Ad 13.) Ab uno paupere duo potentes nihil accipiunt. Ad 14.) Cum Lege loquendum. Ad 15.) Natura paucis contenta. Ad 16.] Reſpondebit Apollo. Ad 17.] Ex utroque nihil. Ad 18.) Elementum conſumens. Ad 19.) Argumentum inſolubile. Ad 20.) Dii nolunt ſeſe illudi. Ad 21.) Per fas & nefas.

§. XIX. Iusiurandum quod Rex Auguſtus II. in Piekarki in finibus Regni die 27. Iunii An. 1697. praeſtitit, fuit huius tenoris: *Ego Auguſtus II. Electus Rex Poloniae & Magnus Dux Litbvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Kiioviae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Smolenſciae, Severiae, Czernitchoviae, natus Dux Saxoniae & S. R. I. Archimareſchalcus & Princeps Elector, ſpondeo & ſancte iuro DEO Omnipotenti ad haec ſancta leſu Chriſti Evangelia, quod pacta conventa per Ordines Regni mihi data, ab iisdem Ordinibus ſubſcripta, Legatique noſtri Extraordinarii corporali iuramento Varſaviae comprobata, in omnibus eorum articulis, punctis, clauſulis, conditionibus,*

tum

tum & coaequatione iurium Magni Ducatus Lithvaniae, ita ut nec specialitas generalitati, nec generalitas specialitati deroget, servabo, manutenebo & adimplebo, atque ea omnia iterato in solemni coronatione iuramento confirmabo; sic me DEus adiuvet, & haec sancta Iesu Christi Evangelia! Deinde in actu Coronationis die 15. Sept. anni praedicti praestitum fuit eiusmodi formae: *Ego Augustus II &c &c. &c spondeo & sancte iuro* DEO *Omnipotenti ad haec sancta Iesu Christi Evangelia, quod omnia iura, libertates, immunitates, privilegia publica & privata, iuri communi utriusque gentis & libertatibus non contraria, ecclesiastica & seculares, Ecclesiis Catholicis Romanis, Principibus, Baronibus, Nobilibus, Civibus, Incolis, & quibuslibet personis cuiuscunque status & conditionis existentibus, per Divos Praedecessores nostros Reges & quoscunque Principes Regni Poloniae & Magni Ducatus Lithvaniae, praesertim vero Casimirum Antiquum, Ludovicum Lois nuncupatum, Vladislaum I. Iagellonidem, Ioannem, Iagellonem dictum fratremq; eius Vitholdum M. D. L. Vladislaum II. Iagellonis filium Casimirum III. Albertum, Alexandrum, Sigismundum I. Sigismundum II. Augustum, Henricum, Stephanum Sigismundum III. Vladislaum IV. Ioannem Casimirum, Michaelem, & Ioannem III. Reges Poloniae & Magnos Duces Lithvaniae, iuste & legitime datas,*

con-

concessas, emanatas & donatas, ab omnibusque Ordinibus tempore Interregni statutas atque sancitas, mihi oblatas: tum pacta conventa per Ordines Regni & Magni Ducatus Lithvaniae mihi tradita, manutenebo, observabo, custodiam & adimpleho, in omnibus conditionibus, articulis & punctis in iisdem expressis. Pacem quoque & tranquillitatem inter Dissidentes de Religione Christiana tuebor, manutenebo, nec ullo modo, vel iurisdictione nostra, vel Officiorum nostrorum & Statuum quorumvis auctoritate, quenquam affici opprimique permittam, nec ipse afficiam ac opprimam, ac ea, quae in Electione nostra Varsavienſi constituta sunt, & quae in Conventione Coronationis nostrae constituentur, manutenebo, iisque satisfaciam. Omnia illicite a Regno, Magnoq. Ducatu Lithvaniae & Dominiis eorundem quocunque modo alienata, vel bello vel quovis alio modo distracta, ad proprietatem eiusdem Regni Poloniae & Magni Ducatus Lithvaniae aggregabo, terminosque Regni & Magni Ducatus Lithvaniae non minuam, sed defendam & dilatabo. Iustitiam omnibus incolis Regni iuxta iura publica in omnibus Dominiis constituta, absque omnibus dilationibus & prorogationibus administrabo, quovis etiam sanguinis nostri respectu nullo habito. In dispensatione quoque distributivae iustitiae non me alligabo ad affectum & propensionem naturalem sanguinis, sed

solam

ſolam ipſam bene meritorum rationem prae oculis & corde habebo, in disponendis decurrentibus officiis & beneficiis Reipublicae. Et ſi (quod abſit) in aliquibus iuramentum meum violavero, nullum mihi incolae Regni omniumque Dominiorum utriusque gentis obedientiam praeſtare debebunt, imo ipſo facto eos ab omni fide & obedientia Regia liberos facio, abſolutionemque nullam ab hoc meo iuramento a quoquam petam, neque ultro oblatam ſuſcipiam. Si me DEVS adiuvet, & haec ſancta Ieſu Chriſti Evangelia! Tantum! Hactenus MSC. BOEHMII.

§. XX. Animus quidem erat hic ſubſiſtere, nec longius ducere telam, quam ab Auctore erat relicta, quia tamen pagellae ultimae, dum praelo exeunt, illud attingunt tempus, quod praeſens Interregnum memorabile facit, ideo noluimus ea ignorare lectorem, quae his menſibus forte acciderunt. Erat anni huius dies 1. Februarii, quo Rex AVGVSTVS II. expiravit Varſaviae, quorſum ante dies ſexdecim e Saxonia venerat ad Comitia Regni habenda, quae etiam, prouti erat definitum, die 26. menſis Ianuarii haberi coepta ſunt. Atque dum in eo erant Proceres ac ſpeciatim Deputati Equeſtris Ordinis, ut, electo Mareſchalco, ſalutarent Regem & poſtea, more

more solito, in throno praesentem venerarentur, mors curis omnibus & expectationi omnium finem praeter opinionem indixit, regno autem attulit decimum septimum Interregnum. Ingenii lusu & literarum valore haec annotata sunt:

DIe SoLIs
SoL obsCVratVs
SarMatIae
patrIae tenebrIs noX IngrVIt atrIs
sive
AVgVstVs DIVa LVMIna CLaVsIt.

Aliis passim & pluribus Chronodistichis mortui Regis diem, mensem, vitam & obitum prosecuti sunt eruditi, tum & ominando electioni Regis futuri praeludere voluerunt. Funus Regis sequenti die post mortem e palatio, ubi decubuerat, in arcem est translatum, aureo sericoque ornatu indutum alioque regio magnificentiam augente apparatu facto publice expositum, praesentibus per vices & officia serviendi praestantibus aulicis, Illustribus & Equestris conditionis eo consilio adlectis viris, donec die 4. Aprilis inter plurimas solennitates advigilante Mareschallo Regni, loculo stanneo est illatum. Hic autem tegitur

alio

alio, qui ex ligno quercino confectus, argenteoque integumento involutus. Variis in locis exequiae solennes institutae, neque minus etiam Cracoviae in templo S. Floriani ubi condendum funus, multisque Inscriptionibus locus dicitur esse insignitus.

Iacturam Regis gravi Oratione prosequutus est Celsissimus Primas Regni, longamque querelam instituit ad Senatores eo tempore propter Comitia congregatos, quos quidem polonice est allocutus. Verba autem quodammodo ita latino fluunt:

Loquine possum, qui totus lacrymis diffluo, iisdemque inter loquendum opprimor? Cum luctus & dolor mihi loquendi verba subducunt. Nefas tamen esset & indecorum, inter lacrymas, non conqueri de tanta iactura nunquam resarcienda, neque fletibus satis deploranda. Quantum damni fecimus, in tanto Rege, si respicimus eius maiores; in Monarcha, si res gestas: in optimo Patriae Patre & Evergeta communi. Quis est, qui non gratiae & honorum cumulum in se praedicet. Tamen quanto minus decet divinae obniti voluntati, tanto ineptius esset obloqui morose ineluctabili fato, quandoquidem, quicquid

quicquid Dei accidit nutu, noſtris quidem querelis onerari, non corrigi poteſt. Fas eſt, animam quam exhalavit pie Rex noſter, demiſſis precibus Dei miſericordiae, noſtram Patriam autem eius tutelae, commendare eamque ſincera mente amare. Charitas in illam ab unione animorum & uniformitate ſenſuum, maxime vero a charitate mutua initium capere debet, quam Deus praecepit & praeſens Reipublicae Status a nobis exigit. Rogo itaque Vos & obteſtor per Deum vivum, per vulnera Ieſu Chriſti, per cara pignora veſtra ac per amorem patriae, ut odia, ſimultates, diſſenſiones & diffidentias deponatis. Hoc vinculum concordiae multo erit potentius armis & lacrymas populo, riſum adimet hoſti; ac infelix hoc Interregnum pacificum reddemus, & talem eligemus Regem, qualem nobis divina providentia indigitabit. Primus ego, ſi quem unquam offenderim, culpam agnoſco & deprecor, neq; minus ſancte pro officii mei ratione polliceor ac confirmo, me omni mea vita, viribusq; omnibus in eam rem incumbere velle, ut tranquillitas publica & quies conſervetur.

Brevi

Brevi deinde post ex more recepto & ad voluntatem Procerum Regni curam idem ille Eminentissimus Princeps suscepit, editisque, ut vocant, literis *universalibus* Regis mortem nunciavit, Interregnum & diem *Convocationis* indixit, uti hoc modo de comitiis provincialibus die stato habendis iudiciisque capturalibus in quosvis Palatinatu instituendis, mature consilia pro patriae commodis agitarentur. Literae universales hunc in modum latino sermone indutae sonant.

Theodorus Potocki DEI & Apostolicae Sedis gratia Archi-Episcopus Gnesnensis, Regni Poloniae & M. D. Lithvaniae Primas & Primus Princeps.

VNiversis & Singulis, quorum scire interest, praecipue vero Reverendissimis, Illustrissimis, Magnificis ac Generosis Dominis Senatoribus Spiritualibus & Secularibus, Dignitariis, Officialibus & universo Ordini Equestri, Incolis Regni Poloniae, & Magni Ducatus Lithvaniae, Dominis, Collegis, Amicis & Fratribus meis gratio-

ſiſſimis cum ſignificatione officiorum & propenſae meae voluntatis notum facio.

Quanquam in magnis calamitatibus fama velox & ocyor Euris iam emanare potuit ad Dominationes Veſtras de fatali vitae periodo Nobis hucusque imperantis Sereniſſimi Regis AVGVSTI II. Domini Noſtri Clementiſſimi, qui, cum ad Regem Regum iret hunc que mundum cum regali faſtu proiiceret, die 1. *Menſis Februarii hic Varſaviae exuvias mortalis corporis lamentabilibus piisque Noſtris circa illud officiis, Regnum vero & quis deinde ad illud vocatus fuerit, meditationibus & arbitriis liberi Regni reliquit; id ipſum tamen ut non ex diſſeminato rumore, ſed ex firmiori & authentica relatione certius conſtare poſſit, Dominationibus Veſtris ex officio meo Primatiali & ea poteſtate, quam in tali caſu mihi lex conceſſit & uſus, ſignifico luctum publicum & una cum illo aperta luctamini Reipublicae tempora: maxime vero nunc, ubi necdum ſedatae ſunt mentes vicinorum, qui Nobis minus bene cupiunt & ſtante vita Domini ſaepe iniuriis Nos laceſſiverunt,*

ac ve-

ac verendum est, ne hoc infelici tempore operando fiant ferociores & contra acephalum statum quidquam moliantur. Non verbis, quae saepe mendacium pingunt dolorem, sed re ipsa infucatae sunt lacrymae, si intempestivam tam periculoso rerum statu mortem huius Domini expendere velimus, qui nominis gloria semper praeveniebat & everte-bat pericula. Habemus causam dolendi, propriis etiam vitae nostrae rationibus inducti, quibus me quoque devinctum esse primo loco profiteor, qui beneficiis eius exauctus & ad hoc dignitatis fastigium elatus sum; quia Principem Munificum, magnificum & per annos Imperii sui triginta quinque & dimidium semper misericordiae quam ultioni propiorem amittimus: Vno verbo, omnibus virtutibus, quae optimis Principibus competunt, a natura exornatum, in negotiis praeterea Regni huius cum dispendio saepe inaestimabilis suae valetudinis atque adeo sollicitum & vigilem, ut, quamvis externae machinationes & pericula ad turbandam patriam nostram exoriri viderentur, sola duntaxat ipsius cura complures annos con-

stanti & immota pace frueremur, internas vero magnarum domuum colliſiones partim litibus propter fortunas, partim ob ambitum honorum excitatas, ne aliquem graviſſimum motum toti Reipublicae adferrent, aſſopire paterne conatus ſit & praeſto ipſe adfuerit, ut ſtudio & opera ſua res omnes feliciter componerentur. Hoc ut adhuc eo melius exoptata inter Cives harmonia ultimo loco confirmaret, ruptis proh dolor! aliquibus comitiis, noviſſima indixerat, ad eaqve non habita infirmae valetudinis, continuis laboribus & ingraveſcente aetate enervatae, ratione, moleſto ex Saxonia itinere cum intemperie frigidiſſimi aeris coniuncto properaverat; at vero, facto illorum initio, qvod indubitatam felicis exitus ſpem adtulit, ipſe deſiit eſſe Fato peremptorie activus, ac re ipſa orbi monſtravit, quod in medio & loco Ordinum ad conſilia publica congregatorum fatis cedens, non ſui cauſa, ſed potius ob charitatem huius patriae vitam degerit. Nemo enim maiorem charitatem habet, quam qui animam ponit pro populo ſuo. Ex hoc igitur cognoſci poteſt, qvantum Dominum

Nobis

Nobis e vita ereptum esse, qui adeo Nobis opus erat, ut necdum Nostri curam abiecisset, eo maxime tempore, cum domi tranquillitatem, concordiam & ordinem, foris securitatem Regni & pacem externam constituere summopere anniteretur. Verum, ubi ita DEO visum est, ex cuius voluntate sceptra cadunt, iterumque resurgunt, officii Nostri est, ut interea vitae Nostrae rationem animo volvamus, curam eius geramus & saluti Nostrae consulamus. Harum cogitationum prima & horrenda idea obiectumq; funestum est Interregnum, suspensum, nescio quid, inter occasum & ortum, prius vero qvam sol ille exoriatur, qvi praesentis Nostri status nubila dispellat, nox atra timorem terroremq; facit. Non commemoro adversus casus, oppressiones & calamitates, qvibus Respublica istis infelicissimis temporibus gravissime affligebatur; priscorum exemplorum plenae sunt historiae, recentiorum necdum apud omnes extincta est memoria, qvibus ipsis id sentire aut deploranda videre contigit. His itaque & similibus ut occurramus & ex praeteritis, qvod DEVS avertat! futuros casus animo

proponamus, prona hominum ad mala relabentium natura edocti, cum affectus pravi, qui rectum rationis usum superant, sese immiscent; maxime vero ut provido animo vereamur, ne quis ab extra hoc orbitatis Nostrae interstitio tentare turbidum, violentoque modo in ordinem Nostrum irrumpere, & suffragia liberae gentis rapere magis, quam expetere velit: ex consensu, sententia & consilio Illustrissimorum Senatorum utriusque Nationis sub tristi hoc spectaculo hic praesentium, insistendo legibus & consvetudinibus antiquis, qvia hucusque nullam novam legem ad casus Interregni Respublica sanxit, primo assigno Comitiolis in Districtibus, tam in Regno Poloniae, quam in M. D. Lithvaniae celebrandis diem Mensis in Ducatu vero Zatoriensi & Oswiecimensi, nec non in Terra Halicicnsi octo diebus, secundum praxin, ante illum terminum, id est, diem Mensis eiusdem, in Palatinatu Masoviae particularibus Comitiolis d. Mensis

Generali vero Congressui Varsaviae diem praedictum Mensis In Palatinatibus autem Prussiae anticipent Comitiola parti-

particularia iuxta placitum Illustrissimorum Palatinorum illarum Terrarum indicta, Generali vero Conventui Graudenti (Mariaeburgi) d. eiusdem Mensis, in quibus Comitiolis Illustriss. Palatinatus, Terrae & Districtus secundum leges Iudicia Capturalia mox constituent, ne intercedente post fata Domini publico interstitio sistatur iustitiae cursus adversus tumultus & catervas sceleratorum ad conservandam securitatem internam, quae anima omnium reliquarum rerum est, quae bene disponuntur & ordinantur: eligent Nuntios ad Comitia Convocationis, quibus diem 27. Mensis Maii hic Varsaviae celebrandis assigno & destino; in quibus ut Illustrissimi Senatores aeque ac Nuntii Terrestres dignentur ad tempus adesse, per omnes charitates patriae oro & obtestor; quia permagni interest ad integritatem & securitatem Reipublicae, ut quantocius illa peragantur, in quibus de futuro regnante deliberabitur, tempus electionis futurae determinabitur: ad formam vero nuperorum Iudiciorum Capturalium Ordini, securitati, rationi iudiciorum sub interregnum, cursui sanctae

institiae, nec non medio Inscriptionum, & Contractuum faciendorum ponendorumque librorum & Actorum in publicum providebitur: Securitas limitum Regni Poloniae & M. D. Lithuaniae, quae armato & numeroso milite opus habet, constituetur, illiusque constituendae ratio quaeretur, pacta cum Principibus & vicinis regnis per Legatos confirmata & retenta primo quoque tempore conficientur, ac fere omnibus rebus in Republica, requirente necessitate, ope divina prospicietur & cavebitur: insimul quod in electione futura ex consilio & consensu omnium Ordinum utriusque Nationis futuro, DEO volente, Regi ad correctionem ordinis & iurium proponi debeat. Quis denique modus electionis sit futurus, tempus suggeret consilium. Haec itaque Comitiola expendant, & quae in hisce Universalibus contenta reperiuntur, instructionis loco esse putent, ne tempus inposterum praetermittamus, novisque conventibus profusos sumtus faciamus: his de rebus ut Illustrissimi & Magnifici Domini Nuntii Terrestres inter se deliberare possint, plenam iis dent potestatem. Cum quoque

que DEO nihil gratius, nihilque omnibus regnis salutarius sit Civium concordia & mutuo amore, quemque Illustrissimarum Dominationum Vestrarum rogo & obtestor, ut omnibus simultatibus ex penetralibus cordium depositis, sincera & indissimulata unione, amore & confidentia Antiquo Polona redintegrata, iunctisque simul animis & manibus fraterne sese amplexaturi, hoc orphanum Regnum confirmare, tutari & complexu suo fovere velint, donec DEVS clementer Nobis iterum Regem Patremque simul constituerit. Vt quoque insolentibus turmis occurratur, rigori & vigilantiae Illustrissimorum Capitaneorum, vulgo Staroſtarum, Castrensium utriusque Nationis id relinquendum esse existimo. Similiter Illustrissimos Gubernatores limitaneos admoneri volo, ne exteris hominibus suspicioni obnoxiis, & literis testimonialibus, vulgo Pasport, non instructis fines Regni attingere concedatur: Quodsi vero quis Principis cuiusdam Legatus in limitibus comparuerit, sine mora mihi significetur, & tamdiu in confiniis retineatur, quam diu mea super ea re non per-

venerit informatio. In his omnibus ut DEVS Exercituum Nobis auxilio suo praesto sit, animitus precor. Hasce literas Universales per universos Palatinatus, Terras & Districtus publicandas diligentiae Illustrissimorum Capitaneorum in utraque natione Castrensium iterum iterumque commendo: atque nunc cum appositione Sigilli mei manu mea subscribo, simulque ex sententia Illustrissimorum Dominorum Senatorum pro tunc Varsaviae praesentium Illustrissimi scilicet & Reverendissimi Lipski Cracovienſis, Ducis Severiae, Szembek Culmensis, Zenkowicz Vilnensis, Zaluski Plocensis, Szembek Principis Varmiensis, Hosii Camenecensis, Nominati Posnanienſis, Gasiewski Smolenscensis Episcoporum; Illustrissimorum DD. Principis Wisniowietki Castellani, Lubomirski Palatini Cracovienſium; Oginski Palatini, Ducis Czartoryski Castellani Vilnensium; Oginski Trocensis, Szembek Siradiensis Palatinorum; Sapieha Castellani Trocensis, Potocki Kiioviensis, Ducis Czartoryski Russiae, Potocki Wolhyniae, Humiecki Podoliae, Tarlo Lublinensis, Potocki Belsensis, Principis Radzivilli

Novo-

Novogrodiensis, Zatuski Plocensis, Oginski Witepscensis, Poniatowski Mazoviae & Generalis Regimentarii Exercitus Regni Polon. Głębocki Ravensis, Czapski Culmensis, Czapski Pomerelliae, Potulicki Czerniechoviensis, Palatinorum; Micielski Calissiensis, Miecelski Siradiensis, Stecki Kijoviensis, Scipionis Smolenscensis, Sołtyk Lublinensis, Podoski Vlocensis, Rudzinski Czerscensis, Konarski Wislicensis, Szemanowski Vielunensis, Sołtyk Premysliensis, Maczynski Chelmensis, Lochocki Dobrinensis, Mostowski Szerpsensis, Ciecisßewski Livensis, Castellanorum; Mnisßek Supremi Mareschalci Regni Poloniae, Principis Wisniowiecki Supremi Cancellarij M. D. Lithvaniae Generalis Regimentarii Exercitus M. D Lithvaniae, Ducis Czartoryyski Procancellarii M. D. Lith. Ossolinski Supremi Thesaurarii Regni Poloniae, Bielinski Mareschalci Curiae Regni, Principis Sangußko Mareschalci M. D. Lithvaniae trado & ad Acta Castrensia mitto. Datum Varsaviae d. Mensis Februarii Anno Domini M. DCC. XXXIII.

Interea, dum haec aguntur Cracovienſis Pala-

Palatinus, Princeps Lubomirſki, copiis ſuis Cracoviam ductis urbem occupaverat, quo etiam ex Equeſtri Ordine illius Palatinatus plurimi confluxerant Confoederationem inituri, cuius Princeps eſſet ipſe Palatinus. Conſilii illius hanc dabant cauſam, ut ſecuritas terrae & incolarum ſervaretur, tum & concordia animorum & Religionis cuſtodia, neque minus ut electio, quae inſtaret, eſſet indigenae Regis & ſincera, ſine fuco & cupiditate largitionum, tantum ſolius patriae ſalutis cauſa. Quae omnia, dum nihil periculi ſubeſſe praetenderetur, magnam ſpeciem praebere poterant ſalutaris curae & ſecuritatis. Maluit tamen avertere animos ab eiusmodi foedere Celſiſſimus Primas, ne alii aemulatione incenſi, occaſionem nanciſcerentur diſcedendi in partes. Meliorem vero operam ſe collocare Regno putavit, quando, quae ſeqvuntur, communicavit cum Senatoribus brevi & maturo conſilio exequenda.

I. Qvemadmodum in Interregno ſuperiori omnium cogitationes & animi in eo defixi fuerunt, ut, excluſo Piaſto, extraneus eligeretur, iam enitendum ſalutari induſtria ex adverſo eſſe, ut, excluſo extraneo, indigena ſeu Piaſtus eligatur. Experientia teſte conſtare omnibus, illum non ſatis gnarum eſſe patrii moris iti-

ris itidemque ſtudioſum magis patriae, unde venit, ſalutis, quam Polonici Regni.

II. Omnes Haereticos ab honoribus excludendos eſſe, abdicandos etiam muneribus, maxime eos, qui Poſtis, ut vocant, praeeſſent, aut ſtipendia in exercitu Regni mererent.

III. Omnes ſuſpectos homines aut Principi extraneo addictos Miniſtros Varſavia, aut prorſus e Regno amovendos.

IV. Principum Legatis proprias excubias aut militem proprium haud concedendum eſſe, ne Varſavienſis urbs peregrinis copiis abundaret.

V. Nobilibus, qui aequales inter ſe ſunt, a peregrinis honorum titulis, aut ſignis, evitandae ambitionis aut invidiae cauſa, eſſe abſtinendum.

Prodierunt hoc tempore Schediaſmata non pauca, Primatis interdicto nequicquam talia prohibente, quae vel Martem vel Muſas ciere poterant. Luculenta haec ſunt affectus in diverſam partem inclinantis argumenta, vel ſaltim impatientiae curioſae. In iisdem nonnullis fiebat diligens commendatio Stanislai Leſzczynſki ad Regium Solium promovendi, aliis ex adverſo editis alii cenſuram in hoc inſtitutum exercebant. Revocata etiam anti-

qua

qua nonnulla ad praelum aut protracta iterum in scenam, non alio consilio, quam ut ii, quorum muneris id est, perspecta simili casuum, periculorum aut commodorum conditione, in praesenti Regni fortuna, aut remedia mature indagare incipiant, aut futurae securitatis munimenta. Plus ponderis in se habebat utrumque scriptum, quod Imperatoris Roman. pariter & Imperatricis Russiae nomine Rempublicam moneret, ne forte Stanislao Leszczynskio Regi creando operam impenderent eligentes. Causae allegabantur sequentes:

I. Domum inter Austriacam & Rempubl. Polonam foedera per duo integra secula sancte esse conservata, neque minus ab Divo Imperatore Leopoldo cum Ioanne III. glor. m. anno 1677. redintegrata, ac denuo ab Oratore & Legato Caesareo Comite a Wilscheck in Comitiis Grodnensibus iterumque anno 1732. a Commissariis Reipublicae esse corroborata.

II. Cavere Imperatorem sedulo, ne quid alienum fiat contra iura liberae electionis, ob eamque rem aliquot legiones militum in Silesia circa Poloniae confinia esse collocatas.

III. Nunquam se concessurum, neq; Imperatricem Russiae, ut Stanislaus Leszczynskius asseclarum suorum ope thronum conscendat, nondum patriae reconciliatus.

IV. Eius

IV. Eius praetensam Electionem pariter & Coronationem anno 1701. a defuncto Sveciae Rege vi & armis extortam non valere, ideo etiam in eos, qui tum fuerunt ex sacro Ordine adiutores & fautores, a sede Pontificia severe & graviter esse animadversum.

V. Proscriptum e Regno esse Stanislaum, ac Rempublicam universam ita dedisse fidem, intercedente tum temporis Russiae Imperatore, ut hoc pacto pax & tranquillitas in Europa stabilita conservaretur. Minus autem iam conservari posse, si Regnantis in Gallia Parens in Poloniam rediret.

VI. Defore sic occasionem Turcarum moliminibus compescendis, si Stanislaus, qui olim profugus asylum apud Turcas habuit, in Polonia viveret, adhuc dum arcto amicitiae vinculo iisdem coniunctus. Id ipsum compertum esse in qverelis, ad aulam Turcicam delatis instinctu malevolorum, ac si Russi, contra pacis conditiones ad flumen Pruth initas, denuo copias Poloniae immiserint Regno.

Proinde non levem calamitatem Poloniae pariter & Europae universae impendere ex Stanislai fortuna ampliori ac Regia dignitate obtinenda. Satius itaque esse liberis Reipublicae suffragiis eligi Regem, qui non displiceat vici-

vicinis Principibus & a quo minus periculi aut turbarum aliis esset pertimescendum

Eadem ferme erant, quae Imperatricis Russiae nomine sunt proposita, adiectis plurimis, quae de pactis cum Petro I. Imperatore initis agebant. Repetita haec aliquoties alio tempore apud Primatem ab utroque Oratore esse perhibetur. Ceterum ad haec responsi loco datum fuisse scribebatur, quod sequitur:

S. Caesareae Maiestati laudi cedere hanc curam, ut electio novi Regis rite peragatur: nihil dum iam fieri in Polonia, quod bonae viciniae pernicioſum, aut praeiudicio esse queat: nulla etiam ratione vincula amicitiae tot pactis multis abhinc annis stabilitae violata esse, ac, ne quid in se desideretur inposterum, omni cura intendere Rempublicam Polonam.

Ipsum neq; desperare de eadem perpetua benevolentia S. C. Mai. neque de affectu, quo Augustiss. Antecessores olim in Rempublicam fuerunt.

Oblatas autem vires seu copias in confinio Silesiae collocatas non tam pro custodienda libera electione, quam adversus eandem potius videri. Ab Stanislao Leszczynskio aut eius assectis vanum esse timorem, itidemque a Gallis ipsis, curae omnino esse Reipublicae omni, ut liberis suffragiis & consensu unanimi, non vero

vero per illicitas factiones Rex sortiatur thronum. Si vero communi Reipubl. consensu eundem forte conscenderet Stanislaus, nutui id divino esse tribuendum, ac se minus dubitare, quin acquiesceret tum S. Caes. Maiest. et alia studia & officia Leszczynskianae Domus erga Divos Praedecessores suos in multis casibus praestita, in memoriam revocatura esset. Similem hic fore Stanislaum maioribus suis, omni amicitiae fide & studiis plenum, prouti iam unumquemque experiatur S. Caes. Maiestas ad omnia obsequia promptum. De Electione eius aut revocatione in Regnum nihil iam actum esse, cum haec inter arcana status referantur, ac, si forte nonnulla de his contingerent, eius tamen esse leges interpretari, cuius est condere. Quae ad electionem & coronationem eius olim factam pertinet, itidemque ad animadversionem Pontificis Maximi, ea cum dolore in memoriam revocanda esse: Iam in eo etiam Pontificem fuisse, ut ad modum Augusti Imperatoris Stanislaum recognovisset. Illum etiam per Comitem Vratislaum petiisse a Stanislao, ut omnem operam adhiberet in Carolo XII. Rege Sveciae p. m. persvadendo, quo militem Svecicum e finibus Saxoniae educeret quantocius, ne in viscera imperii ad instantiam acatholicorum intraret. A

toto Regno proscriptum Stanislaum, probatu difficile esse. Facilem autem in his medelam Reipublicae ferre posse; qua de re duo prostare exempla, unum in Vladislao Loctico, alterum in Imperio Ro. in Bavariae Electore, quorum uterque ad pristinam regiminis dignitatem esset revocatus. Voluntatem & studium Russorum Imperatoris Petri I. quod firmandae paci in Polonia collocarat, ita censendum esse, quod adhuc documenta extent, in quibus idem Imperator Stanislao triginta millia copiarum magnamque pecuniae vim obtulisse legitur, ut confirmari in quieta Regni possessione queat, Stanislaü autem solo patriae tranquillitatis amore ductum eiusmodi talia repudiasse. Magnorum virorum contradictiones in Republica eo minus timendas esse, quo potiora media domi sint hisce consopiendis, modo non foris subministrentur impedimenta. Moliminibus Turcarum magis terrori fore exclusionem Stanislai e regno, ac tanto maiorem metum periculi imminentis & domesticarum factionum, cum excludi videant Stanislaum ab omni spe, quam si forte iubeatur quiete regnare & pacate, antiquorum foederum & amicitiae fide innixus. Praeter causam onerari suspicione Stanislaum in eo, quod Turcis auctor svasorq; fuisset pacis cum Persis ineundae, quo fortiori conatu arma

ma contra Imperatorem Ro. & Russum movere possent.

In reliquis refellendis paullo vehementior anonymus est, eiusq; in dignitate regiique nominis Charactere asserendo intentior, ubique ardorem & altum animum ostendens. Quae autem ea de re palam communicarunt Oratores & Legati, tum Caesareus, tum Russus cum Primate Regni, similis fere argumenti fuerunt, quae in anonymi scripto superiori inveniuntur. Quibus tamen respondit Primas: Cum Poloni non consveverint quenquam Principum impedire in sua regione, quo minus iure suo libere uti possit, in eo se putare non deteriores fore Polonos. Nihildum se affirmare posse certi de Stanislao Leszczynskio eligendo, sed ipsam Regis electionem libertate constare eligentium, quem DEi voluntate & nutu sint inventuri. Ceterum penes Rempublicam totam esse, non vero penes Regem solum, de bello & foederibus, decernere & statuere, neque iam Reipublicae quicquam magis curae esse, quam ut Neo Electus cum omnibus potentiis vicinis amicitia, ipsa quoque Polonia, pace imposterum & tranquillitate perfruatur. Quae tum ore & literis confirmata saepius esse leguntur.

Convenerunt ad diem 20. Aprilis, a Primate generali Convocationi praefinitum, Pro-

ceres & Nuncii Terreſtres Varſaviae, ac, die inſequenti, ſacris in templo peractis, in concla-ve conſvetum ſe receperunt, de commodis elec-tionis habendae & patriae, cuius ſalus omni for-tuna privata potior eſſe debet, deliberaturi. Fun-gebatur Mareſchalci officio, quod ſuperioribus Comitiis geſſerat Ozarowvius, Caſtrorum Re-gni Praefectus: nunc autem de novo eligendo conſilium omnium conſenſu initum eſt. Di-ſceptatio prima ſtatim exorta eſt diſſidentium cauſa, qui ex terris Pruſſiae deputati acceſſe-runt, quibus liberae vocis & voti ius denega-batur. Aſperior ille ea de re conflictus fecit, ut expedienda negotia in diem 28. Aprilis re-iicerentur. Neque tamen poſt mitiores ani-mos afferebant multi, quae etiam cauſa erat abrumpendi conſilii de Mareſchalco eligendo, moraque pertracta uſque ad diem 30. Aprilis, ubi ſuffragia colligi ſunt coepta. Poſt con-certationes varias duo ſeligebantur Candidati, quibus haec dignitas videbatur conferenda, al-ter erat Sapieha Capitaneus Merecenſis, alter Sci-pio Licenſis Capitaneus. Neque tum defer-buit certandi fervor, donec in utroque Candi-dato praevaluit pacis & ſalutis publicae amor dum iuri ſuo renunciantes occaſionem darent tertium eligendi. Erat is Maſſalskius Notari-us Campeſtris Regni & Capitaneus Grodnenſis uni-

unitis suffragiorum auspiciis constitutus, qui mox praestito iureiurando obeundorum negotiorum curam in se suscepit. Nuntio de his facto Primati per sex Deputatos, de variis rebus agitare consilia coepit Equestris Ordo, ubi maxime Confoederationis ineundae formulam consignavit, quae die 12. Maii coram Senatorio Ordine est praelecta. Dies quoque 14. Iulii Comitiis relationum, 25mus autem Augusti eligendo Regi est destinatus. Deinde Primati cum Ordinibus momenta nonnulla videbantur communicanda, quorum causa deliberationes instituerentur. Erant autem:

1.] Liberae electionis securitati esse prospiciendum.

2.) Pro patriae hoste eum esse habendum, qui turbator esset pacis aut factionis cuiusdam auctor.

3.] Quali comitatu stipatis esset eligentibus in campo comparendum.

4.] Foedera redintegranda cum Principibus vicinis esse, eaque de re cum Legatis tractandum.

5.) Curam securitatis ubique praestandae committendam Regimentaris & Capitaneis.

6.) Poena afficiendos gravi, qui militem cogerent sine consensu Reipubl.

7.] Diem certum praestituendum electioni Regis.

8.) Dissidentes arcendos esse a turbis excitandis.

9.) Non quenquam amovendum esse Candidatum, nedum ulla offensione laedendum.

10.] Praesidia Cracoviae disponenda legendasque esse ex copiis Reipubl.

11.] Omni cautione & providentia utendum propter potentias vicinas.

12.) Mercatorum securitati ut & reditibus Reipublicae non diminuendis operam esse dandam.

13.) Constitutionem de anno 1717 abrogandam esse, idque propter clausulam, quae occasionem praebuit Comitia dissolvendi.

14.) Petricovienſis & Lublinenſis tribunalis tempus quodammodo prolongandum.

15.) Securitati Postarum maiori cura prospiciendum.

Tandem convenerunt omnes Ordines Regni & Magni Ducatus Lithv. in eo, ut publica sanctione facta, finem imponerent Comitiis, ac praestito iure iurando fidem, securitatem, concordiam & coniunctionem virium & animorum sibi mutuo confirmarent.

Sunt autem momenta Confoederationis

sic

sic dictae sequentia, quemadmodum polonico sermone typis exscripta extant:

1.) *Iura & Privilegia Romano-Catholicae Ecclesiae itemque Graeco-Vnitorum ritus se conservaturos aliosque exoticos detestaturos.*

2.) *Dissidentes tamen in Regno & in M. D. L. in Religione Christiana pacem iuxta antiquas Confoederationes & praecipue iuxta Constit. a. 1717. securitatemque bonorum, fortunarum & aequalitatis personarum se cauturos promittunt, ita tamen, ne in conclavi Nunciorum Terrestrium, aut Tribunalibus & Commissionibus activitatem habeant, congressu praeterea privatos sive conventicula legibus prohibita evitent, ab officiis Regni, Litbvaniae, Palatinatuum, Terrarum & Castrorum, (salvis modernis Possessoribus) arceantur, neque praesidium vel ipsi vel per ministros apud vicinos quaerant, sub poena perduellionis sancita.*

3.] *Leges de Arianis, Quackerianis, Mennonistis & Anabaptistis & Apostatis, cumprimis a. 1674. latas iterum confirmant.* [turos.

4.] *Pacem omnes inter sese ubiq; conserva-*

5.) *Exorbitantias in Electione futura connotaturos.*

6.) *Regem natione Polonum, Romano Catholicum, utriusq; parentibus Orthodoxae fidei natum, nullas regiones, provincias haereditarias &*

copias extra fines regni habentem una cum Regina Catholica electuros, ceteros, si etiam iure indigenatus gauderent, nullo modo ad thronum promoturos sese obstringunt.

7) Liberam Electionem tuituros.

8] In contrarias partes non ituros, nec quicquam spe lucri molituros, quod liberam Electionem laedat.

9) Nec concessuros quenquam eligi, qui non liberis suffragiis, nemine contradicente, electus fuerit: si quis id fecerit, pro hoste patriae eum se habere velle.

10] Primatem, Regem prius non proclamaturum, quam tribus vicibus interrogaverit, utrum omnes consentiant, omnibusq; exorbitantiis satis factum sit.

11.) Id acturos, ut iura, privilegia & libertates omnes per Pacta Conventa ante denuntiationem iuramento Rex confirmet, non mutata eius formula hucusque usu recepta, praeter id, quod Religioni Romano-Catholicae adversetur, eademque iura & privilegia, exceptis iis, quae Romano-Catholicae Ecclesiae adversa sunt, Constitutionibus in Comitiis muniat.

12.) Si quis ex externis Principibus vel Civibus Reipub. initis foederibus aut aliis illicitis mediis quidquam in praeiudicium iurium & libertatum de libera Electione acturus sit, omnes sum-

summa vi ei restituros, nec ab hac unione recessuros.

13.) *Diem Electionis 25. Aug. praefiniunt.*

14.) *Omnes Ordines ac Nobilitatem expeditione Generali, salvis iuribus Terrarum Prussiae ac Civitatum maiorum & Ducatuum Zatoriensis, Oswecimensis atq; Masoviae, tum Palatinatuum Kioviae, Podlachiae & Terrae Lucovienſis nec non aliorum Palatinatuum in confiniis Turcarum existentium convocandam ad Electionem sanciunt.*

15.) *Magno Ducatui Lithv liberum esse, ad eligendum Regem vel Expeditione Generali vel alio modo venire.*

16.) *Licet in pluribus Palatinatibus, Terris & Districtibus bona sua quis habeat, sufficere, si ipse adfuerit iuxta Constit. an. 1611. 1632.*

17.) *Quantocius Electionem finiendam, sin minus, curandum, ut spatio sex hebdomadarum absolvatur.*

18.) *Civitates ius suffragii praetendentes, in futura Electione illud ut probando proferant in medium, obstringi.*

19.) *Omnes ad Electionem suis impensis profecturos, nemini damnum illaturos & signa Districtuum ad Varsaviam demum ante singulas turmas gestaturos.*

20.] *Transgressores poena* Const. 1621. & 1674. *afficiendos. Hac si cui non fuerit satisfactum, patere aditum ad Iudicium Capturale Generale quod iuxta* Const. 1674. *die primo Electionis a Mareschalcis utriusq; gentis instituitur, idemq; forum specialiter Palatinatibus Masoviae & Podlachiae caveri.*

21.) *Locum Electionis fore inter Varsaviam ad Volam in campo fossis circummunitum.*

22.) *Mareschalcum Equestris Ord. a Terris, Districtibus & Palatinatibus eligendum, ita, ut in Comitiolis Relat. vel etiam in campo electorali se deliberaturos promittant, qua ratione eligendus sit, idq; vel primo die vel citius.*

23.) *Ratione securitatis publicae sub tempus eiusdem Actus antiquas Confoederationes & Ordinationem Electionis a.* 1674. *se approbare confirmant.*

24.) *Proventibus regni & Regis futuri se cauturos.*

25.] *Praesidiis loca munita internae securitatis causa firmanda.*

26.) *Arcem Cracovienſem ducentis militibus tuendam tradi, Capitaneumque* Cracov. *obstringi, ne insignia alii, quam omnium consensu electo sine scissione concedat.*

27.) *Milites, quos* Grandmusquetiers *vocant, ex bonis Oeconomicis in praesenti Interregno*

gno alendos, qui fidem Reipubl. coram Supremo Mareſchalco Regni iurent & ſub eius imperio ſint.

28.] *Stipendia militibus iuxta Conſtitut. 1717. ſolvenda, & ſi ecte ſoluta fuerint, ne milites Conſcederationem ineant ſub poena Conſtit. An. 1601. 1609. 1613. 1699. 1717. ſancita.*

29.] *Milites in regno & extra eius fines conſcribere omnibus interdict.*

30.) *Pacta & Tractatus cum vicinis inita hoc tempore Interregni conſervaturos, bella non ſuſcepturos, nec foedera cum eis ſine conſenſu Reip. facturos iuxta Conſt. 1637. 1646.*

31.) *Futurum Regem, ut pacem & foedera cum iis conſervet, in Pactis Conventis iureiurando obſtricturos, nec ut ſe rebus inter vicinos agitatis Reipub. adverſis immiſceat lege Cardinalè cauturos.*

32.) *Si quis ex exteris pacem noluerit conſervare, Primati hanc poteſtatem dari, ut literas ad expeditionem Generalem mittat, & de vi illata exteros Principes certiores faciat.*

33.] *Haec omnia ſub fide iuramenti a ſe confirmari.*

Iuras

Iuramentum Primatis Regni.

Ego juro DEO Omnipotenti Trinuni, qvod in futura Electione Regem, natione Polonum, qvemadmodum in praesenti Confoederatione descriptus est, publicaturus & electurus, nec qvidquam in favorem exteri, & quod liberam Electionem violet, moliturus, ac in talem, si quis hoc sanctum vinculum solvere voluerit, surrecturus, eumque pro hoste patriae habiturus sim. Ita me DEVS adiuvet & innocens Filii eius Passio!

Iuramentum Episcoporum.

Ego N. juro &c. quod in futura Electione Regem, natione Polonum, quemadmodum in praesenti Confoederatione descriptus est, nominaturus & electurus, nec primatiale ius [si, quod DEus avertat, Respubl. in partes scissa fuerit] singulari mea denominatione violaturus, ac in talem, si quis hoc sanctum vinculum solvere voluerit, surrecturus, eumque pro hoste patriae habiturus,

turus, nec quidquam cum exteris moliturus sim. Ita me DEVS adiuvet.

Iuramentum Senatorum, Ministrorum, Nuntiorum & aliorum Statuum.

Ego N. juro DEO Omnipotenti Triuni, quod in futura Electione Regem, natione Polonum, quemadmodum in praesenti Confoederatione descriptus est, nominaturus & electurus, nec qvicquam in favorem exteri [quem omnino excludo] ad violandam liberam Poloni Electionem moliturus, ac in talem, si quis hoc sanctum vinculum solvere voluerit, surrecturus, eumque pro hoste patriae habiturus sim. Ita me DEVS adjuvet & innocens eius Passio!

Rever. autem Custos Regni haec praeterea addidit.

Quod Insignia Regni pro sua in Rempubl. fide asservaturus, nec cuiquam alii ad Coronationem traditurus, quam illi Regi Polono, qvi ab omnibus Ordinibus Reip. libere electus fuerit.

34.) Ne-

34.) *Neminem ad consilia publica & suffragium nominationis in Electione admittendum statuunt, qui hocce iuramentum non praestiterit in Palatinatibus, Terris & Districtibus in Comitiis relationis aut etiam sub initium Comitiorum Electionis sub poena Const. 1668. sancita.*

35.) *Ducatum Curlandiae ab externis praetensionibus liberandum, ut Dux Ferdinandus vigore investiturae possessionem huius Ducatus adire & recognitionem sui ab incolis Curlandiae obtinere possit*

36.) *Eliberationem Elbingae & reliquarum rerum oppignoratarum, nec non Capitaneatus Dragheimensis Primati commendant.*

37.] *Episcopo Varmiensi Christoph. Szembek pro laboribus & itinere in Curlandiam susceptis devectisq; insigniis & Archivo Cracoviam, ceterisq; Commissariis gratitudinem declarandam.*

38.] *Ducatum Curlandiae & Livoniae circa exercitium Aug. Fidei iuxta Constitut. A. 1716. cum ceteris ritibus conservandum.*

39.) *Iudicia Capuralia iuxta Const. 1674. reassumenda.*

40.) *Decreta in Tribunalibus, Castris aliisq; Iudiciis post mortem Regis usq; ad emissas Vniversl. literas Primatis facta ut valida sint, eaq; Iudicia iterum aperiantur, decernunt.*

41.] &

41.) *Si qui Privilegia ad obtinendos Capitaneatus a Rege nacti fuerint, iuramentum ut in Iudiciis Capturalibus praestent, statuunt.*

42.) *Senatores qui Privilegia a Rege impetrarunt, in Senatu ut iuramentum praestent sanciunt.*

43.) *Capitaneis & Ministris Castrensibus Decreta Tribunal. ante mortem Regis lata post coronationem Regis futuri ad cuiusvis requisitionem exequi licere.*

44.) *Omnes Confoederationes particulares & Comitiolorum Lauda non derogantia iuribus Reip. & privatorum. tum Decretis Tribunalitiis ad praesentem Generalem Confoederationem referenda & approbanda, quae vero adversantur, abroganda, salvis Iuribus Terrarum Prussiae.*

45.] *Pontem in Vistula faciendum.*

46.] *Deputatos ad Tribunalia & Thesaurum Regni post Comitiola Ante-Coronationis eligendos.*

47.) *Cuiq; a Mareschalcis Varsaviae locum designandum, ubi commoretur.*

48.) *Securitatem Civitatum & Academiae Cracov. & Vilnens. conservandam.*

49.) *Laudum in Comitiolis ratione oppidi Opatoviae a quibusdam turbatae approbari.*

50.) *Confoederationem A. 1674. de militie ad Electionem contrahendo reassumi.*

51.) *Le-*

51.) *Legatos & Ministros exterorum Principum tempore Electionis a loco Electionis amovendos.*

52.) *Duces & Regimentarios monendos, ut ipsi in militia imperium teneant.*

53.) *Declarando Const. A. 1717. §. de ministeriis belli & Cancellariis praesenti Convocatione cavetur, ut ad Ius Maiestaticum futuri regnantis redeant.*

54.) *Zaluskio Episcopo Plocensi, Duci Iano Wisniowiecio Castellano Cracov. Ludovico Szołdrski Palatino Inowladisl. Iano a Coden Sapieha Castellano Trocensi, Czartoryyski Cancellario M. D. L. & Petro a Skrzynnie Duniñ Castellano Radomiensi, valetudinis curandae causa ad Thermas proficisci omnes Ordines concedunt.*

55.] *Commissarii ad fines Vngarorum deliguntur reassumendo Const. A. 1717.*

56.) *Iacobo Principi Regio securitatem & immunitatem cavent.*

57.] *Pacta Conventa futuris Comitiis Electionis conscribenda.*

58.) *De pecunia Neapolitana ut Episcopus Cuiav. porro tractet, commendatur.*

59.) *Ad curandum corpus Regis defuncti & Cracoviam transportandum Deputati eliguntur.*

60.) *Agra-*

60.) *Agrariam contributionem M. D. L. futuris Comitiis electionis abrogandam.*

61.) *Declarationem Correcturae Tribunalis M. D. L. a. 1726. ad Comitia Coronat. differendam.*

62.) *Commissarii deliguntur ad Cameneciam & munimentum S. Trinitatis lustrandum.*

63.) *Acta negotiationum & commissionum aliaq; documenta publica ad Archiva Regni tradenda.*

64.) *Gravamina adversus Brandenburgicum aliosq; vicinos Principes deputatis cum ipsorum Ministris tractantibus commendantur.*

65.] *Delecti nominantur, qui Primati a consiliis sint.*

66.) *Expensa hoc tempore necessaria ut ex proventibus Reip. redeant decernitur.*

67.) *Commissarii ad Archivum eliguntur, itemque*

68.] *Commissarii ad salis fodinas.*

69.) *Commissarii ad Oeconomias.*

70.) *Beatificationem & Canonisationem B. Ioa. Cantii, B. Ioa. de Dukla, V. Iosephi Calasantii, B. Andreae Bobolae, Ladislai a Gielnow Ord. S. Franc. de Observantia Provinciae Maior. Polon. cuius corpus multis claret miraculis Varsaviae, V. Narburt, V. Annae Omiecinska, Zapolski, B. Cunegundae, B. Bogumili.*

V. Columbae & Raphaelis Bernhardini Vartenſis, nec non feſtum diem Immaculatae Conceptionis B. Virg. Mariae a Sancta Sede Apoſtolica expetendum.

71.) *Operam Mareſchalcorum Nunt. Terr. & Secretariorum remunerandam.*

72.] *Laudum Orſzanenſe & Decreta quaedam abroganda*

73.) *Aulam Primatis ab Expeditione Generali ad Electionem eximendam decernunt.*

Iam incertis auguriis tenemur omnes, cui tandem, divina moderante indulgentia, Regium diadema in Polonia obtingat, quando in locum inſtituendae electionis deſcendet gens Polona. Iam campum invenient omnes exercendae prudentiae, fidei, conſtantiae & concordiae, ubi maxime in id incumbendum, ne, animis diſcordia diſtractis aut in partes diviſis, fructus illius conſilii ac ſalutaris ſpei pereat, aut depulſo metu externo internus hoſtis exiſtat, cuiusmodi calamitatis pericula non ſapientes modo, ſed & vulgus perſpicere facile poteſt.

DEO interim ſupplicabimus humili mente, ut illa conſilia Reipublicae pariter & omnibus incolis bene & feliciter evenire ſinat!

Sequun-

Sequuntur iam quaedam annotationes breves ad M. BOEHMII Commentationem de Interregnis Poloniae.

Ad Cap. I. §. II. Alia fata Imperii Romano-Germanici aetas noſtra vidit, quando A. clɔ Iɔ CC XI d. XVII. Aprilis mortuo praeter opinionem Ioſepho Imperatore Auguſto, Carolus ex Hiſpaniae regnis redux in Germaniam anno ſequenti felici auſpicio Francofurti ad Moenum ab Imperii Ordinibus Imperator Auguſtus eſt renunciatus, atque in hunc usque diem feliciſſimi Regiminis gloriam ſuſtinet, per Interregni annum vices moderantibus *Septemviro Saxoniae Friderico Auguſto*, *Rege Poloniae*, & Palatino ad Rhenum. Lites, quae per multos annos Palatinum inter & Septemvirum Bavarum de Vicariatu fuerunt, ſingulari prorſus occaſione ſublatae evanuerunt. Praeter alios Iuris publici ſcriptores, ubi de poteſtate & ratione vicariatus diſputatur conferri meretur AVTOR *vitae Ioſephi Imper. p.* 1219. & 1220. 1225. De vicariis ipſis & eorum poteſtate agit *Aurea Bulla T. V.*

Ad §. III. Argumenta utrinque ſucceſſionis & electionis inter plures alios expendit

ARNISAEVS *de Republ. Sect.* IV. 2. & BERNEGGERVS *Quæst.* 30. *ad Tacit. Germ.* Disceptatur rationibus, sed vivitur moribus & instituto. Malum enim praesens & notum ipsa consvetudine fit tolerabile. Vbi iam introducta regnandi forma, ubique valet illud THVCYDIDIS *Lib.* VI. 3 quod latine ita: *Eos hominum tutissime agere, qvi praesentibus moribus legibusqve, etiamsi deteriores illae sint, nihil variantes, Rempublicam administrant.* Conf. AARONIS ALEX. OLIZAROVII *lib.* III. 9. *de Polit. homin. societate.* ANDR. PILCA, *Perspectiv. Polit. c.* 3.

Ad §. VI Post fata Ioannis III. Regis convenit inter Proceres, ne Piastus sed externus eligeretur, iam mortuo Augusto II. contrario studio se iureiurando obstrinxerunt, ut, excluso extraneo, Piastus Thronum ascendat. Sic cavetur libertati.

Ad §. VII. Vid. *liter. respons. Equit. Pruss. in Biblioth. Pol. Part* III. ubi disquiritur, an Polonia ad stirpem Iagellonicam usque haereditarium regnum fuerit, quod demum affirmatur. De exclusione a regno prolis Sobieskianae post fata Ioannis III. superstitis vide *Epist.* XXXVIII. ZALVSKI ad C. Barbarinum. Sine dubio

dubio ipsa mater regina obstitit filiorum rationibus, nuptiis dubiis ineiscata Principis Contii, regni tum temporis Candidati, si illud per electionem obtinuisset. Non obscure hoc indicat ZALVSKI *l.c.* quando ita: *Non cogitare Reginam de regno, qvis affirmet? ut perpetuo dominetur desiderare eandem, qvis asserere & refellere qveat? Nihil domesticum magis esse potest, qvam sua cuique conscientia, nec color, quem primae lanae biberunt, facile amitti potest, nec mores, qvibus imbuti sunt animi recentes. Nulla solet esse regno deiecti qvies. Optimi utiqve maxima concupiscunt. Verissima ergo dicunt & usu probata, ac probanda, non eam esse omnino alienam a desiderio regnandi, nec vellet forsan audire illud, aspice felicem sibi, non tibi Romule Sylvam. --- Alii ducent reconciliandam cum Principe Iacobo --- ut nomen Regis penes filium, vis autem imperii sit penes illam. A domo tamen regia plurimi alieni, & nihil nisi mala ab ea sperant & augurantur.*

Ad §. X. Caruit hucusque corpus Regis Ioannis solita regali exequiarum pompa, tamen

Oratione funebri laudavit Regem Canonicus Cracov. Ioannes Kurdwanovius, quas alioqui partes in se suscipere solent Episcopi, vid. ZALVSKI. *Epist. fam. Tom.* II. *p.* 422.

Ad §. XI. Tertium iam recentiori tempore praebet exemplum glor. m. Rex Augustus II. qui mense Maio Rex electus Varsaviae An. 1697. atque an. 1733. d. 1. Febr. excessit.

Ad §. XII. Non praetermitti hic debent, quae an. 1704. Regi Augusto acciderunt, quando Stanislaus Leszczynskius ab illis, qui a partibus Regis Sveciae erant, Rex electus & coronatus est.

Ad eand. Illam, de exitiali morte Popieli II. s. ut eum vocat Dlugossus, Pompilii II. a muribus discerpti, narrationem falsae iterum nuperrime perstrinxit IOANNES IACOBVS FVLDENER *in Bio- & Bibliographia Sil.* ac speciatim in observationibus ad cuiusdam Ioannis *Chron. Polon. repositi. I. p.* 89. *seq.* Vbi decem argumentis fidem conficere tentat, neque minus flagellare eos, qui pio simplicique iudicio indictam Dei in hoc & simili Hattonis Moguntini casu admirari volunt. Qvale quid etiam invenitur in B. Wendii Dissert. *de fatis final.* Lechi II. Lesci III. & Popieli. *Meletem. Theor.* T. I.

Ad

Ad §. XIV. Regere alios & suo imperio obnoxios habere multos, res difficilis aeque ac iucunda est. Sed ignotum fere aulae prodigium, ut, cum imperare possint, desistant. FAM. STRAD. *de Bello Belg. L. I.* Hac de re quisquis pro more seculi ac diverso mentis habitu iudicare solet, sed rectius nemo, quam qui ipse se dignitatis fastigio spoliat, mente praeter opinionem ad humilitatem conversa. Nimis avide magna petere haud licet, non tamen vetat lex repudiare eadem, animumque super omnem regnorum splendorem generose extollere. Singulare eiusmodi continentiae argumentum fuit olim in Diocletiano & Maximiano Impp. Ro. itemque inter Graecos in Anastasio II. Theodosio III. Isaaco Comneno. Recentiori tempore illustrius Caroli V. Imperatoris exemplo non extat ullum, qui multo liberalius tot regna dedisse filio dicitur, quam vix privatorum quisquam alii tenuem agellum relinquit. Inter Svecorum Reges similia exempla recenset SCHEFFERVS *memorabil gent. Svec. c.* 20. Expugnari Io. Casimiri animus nulla ratione potuit, quo propositum se abdicandi regno mutaret, ac nullis precibus & argumentis permoveri. Vid. ZALVSKI *T I. Part. I. Epist.* quae in vita Archiepiscopi *Andreae Olsowii* observavit AV-

TOR. *Biblioth. Polon.* notata digna sunt *pag.* 413.

Ad §. XV. Etiam nostro tempore, quoties Rex Augustus II in Saxoniam contendit, Archiepiscopus Gnesnen. Regis absentis partes gessit.

Ad §. XXI De dotibus electi Regis conferatur ANDR. DE PILCA *Perspectiv. Polit. cap.* 4.

Ad §. XXII Quod attinet ad Duces Prussiae, qui olim potestatem eligendi Regem habuerunt, alia nunc rerum facies est post pacta Pacis Olivensis, quando Suprematum & independentiam obtinuit Sereniss. Domus Brandenburgica.

Ad eand. Maioribus Civitatibus in Prussia, non demum tempore Vladislai IV. ius & facultas illum eligendi concessa, nisi verba auctoris de confirmatione quadam intelligeres. Hoc ius a primo tempore incorporationis repetendum, ubi Nobiles in Civitatibns Terrarum tempore Casimiri in unum corpus, & societatem cum Regno Polon. & Magno Ducatu Lithvan. coaluerunt. Vid. exempla post mortem Sigismun. Augusti & post discessum Henr. Valesii ap. Lengnich. Preußisch. Geschichte Tom. III. p. 52-54 p. 155. Mortuo Stephano Tom. IV. p. 15. 22. alia Tom. VI. p. 15.

p. 15. In Comitiis Electionis Ioannis Casimiri duo delecti ex Civitate Thorun. interfuerunt, Zernecke ad An. 1648. p. 320. Qvanquam ab illo tempore deputati amplius eo non venerunt, non tamen expiravit ius & facultas, ut ex literis invitatoriis, ad Civitates a Primate dari solitis hoc apparet. Lengnich Tom. V p. 2. §. 7. in dem Vorbericht von dem heutigen Zustand der Preußisch. Regiments-Verbesserung. Vnde in ultima instructione Mariaeburgi Nunciis Terrestribus ad Comitia Convocationis profecturis res commendata, ut more solito Primas Civitates Prussiae ad Comitia Electionis novi Regis invitare dignaretur.

Ad § XXIII. Tolerabilius videtur imperium eius, quem non casus aut fortuna evexit, sed quem extulit natalium splendor, aut illustrior sors hereditatis a vulgo distinxit. Optimi *tamen Candidati in Polonia ex iudicio magni* ZALVSKI *esse videntur*, qui plurimas pecunias afferunt, *multa promittunt, et fortitudine bellica contra hostes et immoderata licentia recte uti domestica possunt - - Inventus ne vel unus fuit inter tot Regum nomina princeps, qui id servaverit ad amussim, qvod Reipublicae promisit? Legatus*

Henrici in Electione etiam pontem ex auro in Vistulam promisit, modo non sit ex Vngarico sed Rhenensi. Sic ludimur Poloni! Proinde uti in Mexicano regno -- iurare regem audimus, iustitiam se velle administrare, effecturumque, ut sol cursum suum retineat, nubes pluant, vivi currant, & terra omne genus frugum producat.

Ad Cap. II. §. VII. Non tantum diadema imperiale honoris & amoris causa Otto imposuit Boleslao, sed &, ut fere constans opinio multorum scriptorum est, regio nomine & titulo uti permisit. Quin &, si in illo concertantium de regii tituli origine & usu in Polonia divortio dicamus, Imperatorem primum fuisse, qui Boleslaum regio titulo insignire coepit, propterea quod eius Pater eo uti quodammodo est impeditus, nec ab Imperatore aut aliis Regibus regio nomine salutatus, nihil esset, quod ab hodierno more esset alienum. Facto enim a primario inter Christianos Principes Rege & Imperatore nominandi initio, facile alios, hoc allectos exemplo, eodem appellandi honore eum proseqvutos esse, credi potest. Hodie enim non alius mutandi aut augendi titulos modus esse solet. Sed de eo maior

quae-

quaestio, an ut Clienti & beneficiario suo hoc concesserit, itemque an imperio obnoxia fuerit Polonia & tributaria. Quod negavit IO. SCHULTZIVS peculiari tractatu *de Polonia nunquam tributaria*. Sed apparet facile, nimium affectui indulsisse & ingenio, quippe fuit omnino tempus, uti ex Scriptoribus Polonicis iuxta & Germanicis patet, ubi ab omni onere & tributo aliis, speciatim Germanis, pendendo liberi non fuerunt. Saltim fideliter Imperatoribus servire solitos per aliquot tempus negari non potest; praesertim cum attendamus, quam longe imperium extenderint Ottones & regnandi felicitatem etiam ad mare Balticum transtulerint Vid. CONRING *de fin. Germ. Imp.* & HARTKNOCH *de Republ. Polon. p.* 38. & 44. Sufficit iam liberam esse nationem, quae maior gloria est, quam olim non paruisse & perdere libertatem.

Ad eand. An Rixa Ottonis III. soror fuerit, admodum dubitatur, affirmat KADLVBKO, sed sine fundamento. LIPSIVS *monit. Polit. cap.* III. communem sententiam sequitur, qua Rixa multarum technarum & fraudum foemina repraesentatur. Sed ei iniuriam fieri AEGIDIVS GELENIVS testatur, qui ideo vindicias pro eadem contra criminationes adornavit. Promisit eius Genealogiam & multa

multa alia accuratiora, quae de ipsius fuga, vita & morte in Germania agunt, AVTOR *Biblioth. Polon. Part II. p.* 60.

Ad §. IX. Quae Hedvigis non sine causa circa matrimonium cum Iagellone excepit, diu, an consentire deberet, anxia & anceps, itemque, quomodo deinceps Iagello coronatus & baptismatis sacro fonte ablutus, pluribus refert DLVGOSSVS.

Ad §. X. In Candidatorum regni obtinendi numero etiam fuit Chan sive Princeps Tartaricus, cuius etiam sunt lectae literae, quas Legatus ad Regni Senatores attulerat. Paratus is erat ad omnia & proclivis sive vitam sive religionem spectes, vilique ac deridenda facilitate captare animos Polonorum tentabat, hoc modo voluntatem suam conteſtatus: *Potentem se esse & posse myriades aliqvot equitum (vera sunt) educere e suis terris Poloniae tuendae vel augendae. Item frugalem se esse & continentem ac sine ullis ciborum deliciis, sola eqvina in fame contentum. Tertio, quod ad religionem, de qua disputari audiebat, Tuus, inquit, Pontifex, meus Pontifex esto, tuus Lutherus, meus Lutherus*

rus esto. Quod si risu & iocis excepta haec legatio, nemo mirabitur. Aliter enim & lautiori apparatu in Polonia vivere mortales posse, quam carne equina, soli beneficium ingens est. Praeterea omnia deserere sacra ex intempestiva cupiditate regnandi luculentum levitatis indicium est. LIPSIVS *in monit. Polit. & Exempl. cap. V.*

Ad eand. Henricus Valesius Neo-electus Rex Poloniae iureiurando etiam confirmavit & approbavit articulum, qui de religione agit, quem in generali foedere Varsaviae Anno salutis cIↃ IↃ LXXIII. die XXVIII. Ianuarii inito sanxerunt ordines. Hoc ipso enim in id convenerant, ut in aequali Republica non obstante sententiarum fidei diversitate, pax aequalis & libertas inter omnes salva & inconcussa perpetuo servaretur. Latino sermone, uti verba in corpore Legum Polonicarum habentur, ita fluunt: *Hoc praecipue nobis Rex electus iuramento confirmabit, pacem publicam inter scissos & divisos in fide & religione conservare*: & mox: *Cum autem in Republica nostra sit non exiguum in causa religionis Christianae dissidium, occurrendo huic rei, ne ex ista causa inter homines*

mines oriatur aliqua noxia seditio, qvam in aliis Regnis clare videmus: spondemus hoc nobis invicem pro nobis & successoribus nostris, in perpetuum, sub vinculo iuramenti, fide, honore & conscientiis nostris, quod nos, qui sumus dissidentes de religione, pacem inter nos conservabimus, & propter diversam fidem & differentiam in Ecclesiis, sangvinem non profundemus, neque nos poenis afficiemus, veluti confiscatione bonorum, infamia, carceribus & exilio, neque Magistratum ullum vel officium ad tale facinus ullo modo iuvabimus: Imo vero si qvis sangvinem ex ista causa effundere velit, huic nos omnes vires nostras opponere tenebimur, etiamsi praetextu decreti vel processus iuridici alicuius hoc facere velit. Clausula addita ita se habet: *Haec omnia spondemus nobis mutuo pro posteritate nostra, servare constanter & tenere sub fide, honore & conscientiis nostris. Qui vero huic conventioni adversari, pacem & ordinem publicum destruere voluerit, contra talem omnes consurgemus in eius destructionem.* Qvae postea in aliis Interregnis acci-

ciderunt, huic veluti fortissimo propugnaculo omnia superstructa reperiuntur. Aliter enim ii, quij divortio sententiarum inter se disiuncti sunt, in unum corpus coalescere non possunt, quam ut, sepositis odiis, posthabito paucorum contranitentium dissensu, mutua sit concordia in civilibus, in sacris tolerantia, pax autem & libertas in aequali Republica inter aequales conservetur, & omnes, data fide ac foederis & amicitiae vinculo consociati ad mutuam de publica salute curam revocentur.

Ad §. XVII. Vnde tantum in Reginam & domum Regiam sit enatum odium, quodammodo Illustrissimus exponit ZALVSKIVS *in Epistola* XXXIII. emolliendo etiam naevos & errores, ita querelas, & accusationes nonnullorum retundit: *Reginam accusatis, quod scilicet fuso locare deberet manum, immisceat se publice administrationi pro sexu audentius, & non meministis quod nihil magni in regno sine illa imo nisi per illam fuerit gestum, quod nos iudicio nostro illo tempore approbavimus, grátulatione etiam prosecuti sumus, amavimus amore dignam. Huiusmodi etiam reprehensionem nostra iam consvetudo sustulit.*

Nem-

Nonne videtis per totam Poloniam in domibus privatis (examina & tuos lares) devolutum in feminas rerum imperium. Si est iniquitas, cur suo patrocinio non destituitur? Et Regina [quasi tempus sit malos peiores fieri] in hoc arguitur, accusatur, & ne potestas datur causae dicendae, imo neque defendendi commoditate data &c. &c. --- Privati queruntur quod officia, proventus, dignitates, quae illis a gloriosae memoriae Rege conferebantur, insolito in hac Republica pretio nundinari, solvereque debuerint. Verum meminerint oro praedicti praetendentes, quo pretio Reges eligantur & clare advertent, quod nullam patiantur iniuriam, quoties pro collatis dignitatibus aliquid liberali in se Maiestati Regiae tribuunt offeruntque, cum hoc faciant ex contractu innominato.

INDEX.

INDEX RERVM.

A

ABdicationi Regum lege publica cautum est, 177. Quae est omissa, electo Ioanne II. 23. 196. Abdicationis spontaneae exempla. 21. seq.
Adamas pretiosissimus. 261.
Adolphum Sveciae Regem quidam Regem Poloniae eligere volunt. 154.
Alphonsus Ferrariae Dux Candidatus regni Polon. 129. Conditiones ab eo propositae. Ibid.
Anna Sigismundi filia in numerū Candidatorum regni refertur. 119. Creatur regina, nubitque Stephano Bathori. 132.
Ariani in Pol. non tolerantur. 295.
Augustus II. Candidatus sceptri regii, 222. Qua de causa eligendus Ibid. Salutatur Rex. 225. Contistae ipsi resistunt. 227. 231. Coronatur. 261. Puncta a Confoederatis ei proposita, 264. Ad quae ab eo responsum est. 265. Confirmat iuramento pacta conventa. 266. seq. Moderatur vices temp. Interregni in Imp. Germ. 307. Mors. 269. Funus. 270.

Austriacae domus conditiones, ob quas ad regiam dignitatem in Polonia evehi cupit. 148.

B.

Balthasar, Stephani Bathori, frater appetit regium diadema 144.

Bellum Russiae a Cosacis illatum. 168.

Bielinski eligitur Mareschalcus per calculos scriptos 107. Primus proclamat Fridericum Aug. Regem. 145.

Blandrata pacta conventa a Polonis obsignata tradit Principi suo Stephano Bathori. 131.

Boianowski Sigismundum III Regem electum adducit in Poloniam. 148.

Boleslai II. Epitaphium. 10.

Boleslaus III. regnum dividit. 6.

Brand resistit conatibus Principis deConti 254.

Bycina urbs Silef. expugnatur a Zamoscio. 151.

C.

Camenecia a Turcis expugnatur. 187.

Cancellariorum officia temp. Interregni cessant 36.

Candidati regni partim incolae, partim exteri 46.

- - Post discessum Rixae. 83.
- - Mortuo Lesco Nigro. 86. 87.
- - Post mortem Praemislai. 92.
- - Expulso Vladislao. 93.

Mor-

- - Mortuo Ludovico. 100.
- - Post obitum Sigismundi Augusti. 119. seq.
- - Post discessum Henrici Valesii. 129.
- - Post mortem Stephani. 143.
- - Post abdicationem Ioannis Casimiri 172.
- - Mortuo Michaele. 199. seq.
- - Defuncto Ioanne III. 208.

Candidatorum nullus in electionis loco debet adesse praesens. 161.

Capillos apud Polonos radendi mos unde? 6.

Cardinalis vices Episcopi in Polonia obire non debent. 117.

Carolus Dux Neoburgicus competitor sceptri regii. 220. Conditiones ab eo propositae. Ibid.

Casimirus Florianus Archiep. Gnesn. nominatus Interregis munia exercet. 187.

Casimirus I. iam Monachus factus Rex eligitur. 5. 81. 83. seq.

Chan Tartaricus Princeps Candidatus regni. 316

Comitia Convocationis Vars. 291. 292.

Condei Principis fautores. 177.

Confoederatio generalis temp interregni. 39. Mortuo Sigismundo Aug. 110. Electo Friderico Aug. 241. Cracovienf. Palatinatus mortuo Augusto. 284. Varsav. 294. 295.

Confoederatio Religionis temp. interregni IX. 117, 118. 123. Impugnatur a Gregorio XIII 119. Ab Epiſcopo Poſnan. 125. Durante interregno XI. 138.
Conradus capit Henricum Ducem Lignic. 69.
Conſangvinei cum Nobilitate pari iure gaudent. 195.
Conti competitor regni. 215. Rationes propter quas eligendus. Ib. Adventus eius in Pruſſiam. 244. Scriptum evulgat. Ib. Infectis rebus in Galliam revertitur. 254.
Contiſtarum querelae. 227.
Coronationis ritus, 52. Quid ante eam peragatur? 51. Quid poſt eam. 64. Quo tempore ius coronandi Reges Cracoviam translatum. 94. Controverſia ea de re. 97. Coronationis ſolennitates, electo Friderico Aug. 262. Primati competit ius coronandi Regem. 241.
Corporis regii cura quibus committatur? 15 Prius non efferri ſolet, quam Rex novus electus fuerit. 15. Sunt tamen, quibus, necdum electis novis Regibus, iuſta perſolvebantur 16. Ritus ſepeliendi Regum corpora. 51.
Coſaci Zaporoviani ius ſuffragii in electione Regis requirentes repulſam ferunt. 45. 157. Ruſſiam depopulantur. 168.

Craci I res gestae. 72. Draconem occidisse fertur. 73.
Cracovia a Maximiliano expugnatur. 150. A Craco condita est. 20. 73. Quo tempore ius coronandi Reges eo translatum. 94. Decem e Magistratu personas nobiles creat Frid. Aug. 263. Obtinet ius suffragii in electione Regis. 45. 166.
Cracus II. a fratre occiditur. 73.
Cuiaviensis Episcopus moderatur statum interregni absente Archiep Gnesn. 32.
Curlandiae Duces eligunt Reges. 45.

D.

Dambski Episc. Cuiav coronat Frid. Aug. 262. Quod indigne ferunt confoederati. 265.
Dignitates vacantes Respublica tempore interregni distribuere non potest. 158. Sunt tamen exempla. ib.
Dissidentibus cautum est de libero religionis exercitio lege peculiari ante electionem Henrici Valesii. 123. 317. Offerunt XX articulos post obitum Sigismundi III. a futuro Rege iuramento confirmandos. 155. Eos vi opprimendos esse plerique censent. 160. Ab honoribus excluduntur. 285. 295. It. a consessu in Comitiis. 292.
Dorpowski nunciat Friderico Aug. ipsum Regem esse electum 226.

Draco in antro Cracov. 73.

E.

Electio libertati Polonicae magis convenit quam successio. 7. Electionis modus in Pol. non est praescriptus. 8. Locus. 40. Quo pacto peragatur? 41. Diploma conficitur. 48.

Elogium Stephani R. 136.

Ernestus Austriae Archidux Candidatus Regni Pol. 121. 129.

Estoniam a Legatis Svecicis promissam Poloni Regno adiici volunt. 150.

Exequiae Ioannis III. 261.

Exorbitantias regni prius esse corrigendas, quam Rex eligatur. 41. 175. Quod ante electionem Augusti II. factum non est. 42. In Electionis Comitiis se eas connotaturos sanciunt Ordines a. 1733. 295.

F.

Familiam Regis defuncti ex aerario publico alendam esse decernunt Ordines. 158.

Firley, Ioannes tumultum sedat. 121.

Flemmingius Orator ab Elect. Sax. ad Polonos missus 221. Pacta conventa nomine Regis iuramento confirmat. 260.

Frederovicius Competitor sceptri Polon. 120. Additis conditionibus. ib. Cui etiam nonnulli bene cupiunt. 122.

Fridericus Curlandiae Dux, ut frater exul patriae restituatur, rogat. 157.

G.

Gedanenses stant a partibus Maximiliani Imp. 134. Impetrant ius suffragii in electione Regis 45. 166.

Georgius Wilhelmus Dux Prussiae indigne fert, quod ad Conventum publicum non sit vocatus. 156.

Gnesna sedes Piasti. 79. Ius stapulae obtinet 260.

Gnesnensis Archiep. coronare debet Regem. 241.

Graecorum in religione gravamina 156. Indulta est ipsis potestas ritus Russicos colendi 161.

Gryphina Lesci Nigri uxor donat Venceslao Boh. R. terram Cracov. & Sendomir. 90.

H.

Hedvigis coniux Vladislai Iagellonis. 12. 107 316. Opera matris suae eligitur regina 100. Illius conditiones pacis cum Ziemovito initae. 108.

Henricus Dux Lignic. vincit Vladislaum. 88. Captus a Conrado Duce Glogov. 89.

Henricus Probus praelio a Vladislao Loctico victus 87. Redintegratis viribus prosternit copias eius. 88.

Henricus Valesius Candidatus R. P. 119. 121. Renunciatur Rex Pol. 124. Migrat in Po-

loniam. 125. seq. Abit noctu in Galliam. 127. Mittuntur ad eum Legati. ib. seq.

I.

Iablonowski Legatus ad Regem Frid. Aug. recens electum. 230.

Iacobum Ioa. III. filium commendat Imperator 213. Alia pro eo eligendo argumenta. 218.

Indigenatus terrarum Prussiae a Polonis oppugnatur. 185. Exteris non conferendus in Pol. 258.

Inscriptio in Regem electum Frid. Aug. 262.

Interregnum quid? 4. In imperio Rom. Germ. ib. Eius causae. 14. Quot interregna fuerint in Pol. 69. Status eius moderatur Archiep Gnesn. & hoc absente quisnam alius? 31. Quousque duret? 121. Quid in eo actum mortuo Sigism Aug. 264. Post mortem Sigis. III. pacatissimum. 253.

Ioannis Alberti epitaphium. 17.

Ioannes Albertus obtinet Episcopatum tempore interregni. 158.

Ioannes Casimirus sceptrum regium obtinet, 169. Vtut iam Ordini S. I. adscriptus fuerit. 6. Eius vitae curriculum. 169. Fratris coniugem ducit in matrimonium. 170. Abdicat se regno. 171. Abdicatio uberius recen-

recenſetur. 24. ſeq. Oratio eius valedictoria. 26. Epitaphium. 15. Exequiae. 205.

Ioannes Sobieſki profligat Tartaros. 187. Quibus conditionibus Rex factus. 195. Salutatur Rex. 204. Mors. 205. Excluſio prolis eius a regno 308. 309. Coniugis eius cupiditas imperandi. 319.

Ioannes III R. Sveciae competitor R. Pol. 121. 129.

Iudaeis nulla functio in teloniis conceditur, 260.

Iudicia Capturalia quid? 34. Approbantur 138. Quando primum inſtituta. 34.

Iudicia quaedam ceſſant tempore interregni. 36. 153.

Iudicia Terreſtria & Tribunalitia non ſolent prius ceſſare, quam mors Regis fuerit denunciata. 153.

Iuramentum Auguſti II. 266. (250

- - Conſcribentium pacta conventa 277.

- - Flemingii nomine electi Regis Frid. Aug. 260.

- - Regum, quo pacta conventa confirmant. 50. Aliud in ipſo actu coronationis. 61.

- - Mareſchalci. 188. 195.

- - Senatorum negotia Reip. temp. interregni tractantium. 189. Primatis Re-

gem eligentis. 300: Episcoporum. ibid. Senatorum, Ministrorum, Nuntiorum, 301. Custodis regni. ib.

Iurium coaequatio. M. D L. abrogata. 243.

K.

Kaptur vid. Iudicia Capturalia.

Kostka, Ioannes Palat. Sendom. Competitor regni. 129.

Kurtzbach Orator Imp. in itinere vulneribus a Weyhero afficitur. 136.

L.

Lechus I. Pol. Princeps. 71.

Lechus II. in exilium missus. 74.

Legati in Galliam missi ad salutandum Henricum Valesium Regem 124.

- - In Germaniam missi ad Maximilian. Imp. custodiae traduntur. 136. Dimissi a Rudolpho II ib.

- - Exteri temp. electionis Varsaviae ne resideant cavetur. 39. 304. Eorum locus in Comitiis publ. 43. Arcentur a Conventu Generali, mortuo Sigism. Aug. 114. Proprius miles non conceditur. 285.

Leges temp: interregni defuncto Sigism. Aug. 117. Post obitum Michaelis. 192. Post mortem Ioannis III 441.

Lesco aurifaber Princeps eligitur. 76.

Leſcus Albus bis principatu motus, oblatum tertio ſponte ſpernit, ad quem tamen ſumma rerum redit 22.

Leſcus II aſtu principatum obtinet. 76. Quadrigis diſtrahitur. 20. 77.

Leſcus II ſ. III. qua ratione imperio potitus ſit. 77.

Leſzczynſki commendatur Rex in ſcriptis. 285. Cui ſe opponunt Imp Rom. 286. Rationes adferuntur ib. Et Imperatrix Ruſſiae. 288. Reſponſio Primatis. 291.

Lex peculiaris de religione. 123. Confirmatur defuncto Stephano. 138.

Literae Petri Alexewitz ad Primatem regni. 209.

- - Principis Conti ad Polonos. 244.
- - Radzielowſki Card. ad Aug. R. 230.
- - Vniverſales Saxoniſtarum 219.
- - - Radzielowſki 111. 237.
- - - Potocki. 273.

Lithvani indigne ferunt, quod ſine ipſorum ſcitu Stephanus Rex electus ſit. 134. 135. Poſt mortem Stephani Auſtriacas partes tuentur. 147. Poſtulata eorum mortuo Sigiſm. Aug. 115. Piaſtum repudiant. 201.

Lithvania adiungitur Poloniae. 109. Iurium ipſius coaequatio. 208. Abrogata. 243.

Lotha-

Lotharingiae Princeps sceptrum regium sibi tradi petit. 179.
Lubomirski Cracoviam occupat. 284. Princeps Confoederationis Cracov. ib.
Lucerna D Petri ex Polonorum censu. 5.
Ludovicus Hung: R. denominatus est successor a Casimiro. 13. Creatur Rex Pol. 94. Idem, ut filiam suam Reginam eligerent, a Polonis impetravit. 14. Eius regiminis pertaesi Poloni. 97.
Ludovicus Marchio Badensis Competitor regni. 221.

M.

Mareschalci iurisdictio tempor. interregni circumscripta. 195. Quomodo fidem suam obstringat, quando Rex eligendus sit. 41. 188. 195.
Maria Casimira iuncta connubio Ioanni III. 205.
Maria Ludovici filia excluditur a successione. 100.
Mariae Virginis imago flet. 174.
Massalski Mareschalcus. 292.
Maximilianus Archidux Austriae eligitur Rex 149. Expugnat Cracoviam. 150. Capitur a Zamoscio 151. E custodia dimittitur. 152.
Maximilianus Imp. Candidatus regni Pol. 129. Eligitur Rex dissentiente Ord. equest. 130.

Men-

Mennoniſtae in Pol. non tolerantur. 295.
Meſcingus Ducatum Pomeraniae donat Praemislao. 90.
Michael Coributhus electus R. P. 172. 184. Mors eius. 187. Cauſa mortis. 18. Epitaphium. ib.
Milites ad ſuffragia in electione Regis non admittuntur. 45. 157.

N.

Neoburgicus Princeps Candidatus R. P. 178.
Nobiles a peregrinis titulis honorum & ſignis abſtineant. 285.
Nummus in coronationem R. Frid. Aug. 162.
Nuncii Pont. Rom. locus in conventibus publ. 176.
Nunciis Terrarum Pruſſiae locus inter Plocenſem & Lancicienſem Palatinatus conceditur. 180.

O.

Oborſcius Condeo & Neoburgico Principi minime favens. 176.
Ordinum omnium conſenſus liber requiritur priusquam electus Rex coronari poſſit. 241.
Otto Imp. diadema Boleslao imponit. 80. 314.
Ozarovius Mareſchalcus. 292.

P.

Pactorum Conventorum summa inter Frid. Augusti. & Remp. 255.
- - Inter Ioa. III. & Remp. 196.
Palatini XII. post mortem Lechi regnant. 71.
Pecuniae cudendae ius penes Remp. 161.
Petri Alexewitz literae ad Archiep. Gnesn. 209.
Piastus quare a regia dignitate excludatur adferuntur rationes. 9. 190. 191. Pro quo tamen aliae militant. 10. 173. 191. Lithvani post mortem Michaelis repudiant Piastum. 201. It. omnes Ordines post fata Ioannis. 308 Post mortem Augusti eligendus. 284. 298. 295. 296. 308.
Piastus rusticus princeps eligitur. 78. 79. Crusvicia Gnesnam sedem suam transfert. 79.
Pomeraniae Dux non admittitur ut electioni Regis intersit. 121.
Polonia olim Imperio tributaria fuit. 315.
Poloniae Regnum olim hereditarium fuit. 5. Quod lege abrogatum. 7.
Popielus II. a muribus corrosus. 20. Quod ab aliis in dubium vocatur. 310.
Posnanienſis Episc moderaaur statum interregni absentibus Archiepiscopo Gnesnens & Episcopo Cuiav. 32.
Potocki Primatis Oratio in Comitiis post mortem

tem Regis habita. 271. Literae universales. 273. Momenta ad deliberandum in Comit. Convocat. proposita. 293. Iuramentum ob eligendum Regem. 300.

Praemislaus Rex coronatur. 92. Sigillum regni primus exsculpendum curat. ib.

Praescriptionum tempus in causis fundi Ecclesiae 261.

Preces illius, qui coronat Regem. 55.

Primas regni quare ex Ordine Ecclesiastico sit? 31. Moderatur statum interregni imo ipsum regnum absente Rege. 31. 32. Renunciat Regem. 44. Ius coronandi Regem. 241. Post coronationem Vicariatum deponit. 66.

Proles regia a sceptro Polonico olim non erat exclusa. 11.

Protestatio Contistarum adversus electionem Frid. Aug. 231. Responsio ad eam. 232.

Prussi postulant frustra, ut ex illorum Ordine Mareschalcus eligatur. 189.

Prussiae Civitates Commissariis Regis praestant homagium. 66. Habent ius suffragii in electione Regis. 312, 313.

Prussiae Duces olim Reges eligebant in Pol. 45. 312. Non conceditur ipsis locus in Comitiis. 199. Non sunt vocati ad Convocationem generalem mortuo Sigism. III. 156.

Q.

Qvackeri in Polonia non tolerantur. 295.

R.

Radzieiowski Primas Regni supprimit literas ab Imp. Russorum ad se datas. 209. Principem de Conti Regem proclamat. 225. Eius ad Frid Aug. literae, quibus eum avocat a capessenda dignitate regia 230. Literas universales ad omnes Ordines Polon. mittit pro electionis de Conti confirmatione. 237.

Radzivilius Ref religioni addictus Mareschalcus in Comitus electus. 154.

Reges Pol. exauctorari possunt. 19. Cuius rei exempla adferuntur. 20.

Reginae viduae Michaelis R. promittuntur annui reditus. 190.

Respublica in partes distracta post obitum Stephani Regis. 141. Item defuncto Michaele. 201. Mortuo Ioanne III. 206. 224. 225. Post discessum Rixae. 183.

Rex non Catholicus ut eligi possit in Pol. Imperator petit a Papa. 200.

Rittigerus a Venda victus mortem sibi conscivit. 74. 75.

Rixa mater Casimiri summam rerum tenet. 80. Auffugit e Polonia. 81. An Ottonis soror fuerit, dubitatur. 315.

Russia a Cosacis devastatur, 168.

S.

Sedes regia in Pol. vel M. D. L, figenda. 259. 260.

Sigillum regni Praemislaus primus exsculpendum curat. 52.

Sigismundus Aug. admodum adolescens corona regia condecoratus. 14.

Sigismundus Caroli Imp. filius ad fasces regni non admittitur. 99. Masoviam depopulatur. 104.

Sigismundus III. quibus conditionibus ad regiam dignitatem adspiret. 12. 146. Rex Pol. eligitur. 148. Venit in Poloniam. 149. Mors eius. 151.

Stanislaus Szczepanovius a Boleslao II. interficitur. 20. Eius templum Rex recens electus invisit. 51.

Stapulae ius Thorunium habet. 260.

Stephanus Bathori Candidatus regni. 129. Conditiones ab eo propositae. ibid. Venit in Poloniam. 133. Religioni Catholicae se addictum esse fatetur. 134 Coronatio eius peracta a Cuiav. Episcopo. 135. Elogium eius. 136. Mors. 137. Post mortem a Karnkovio in Conventu publico accusatur. 138. 139.

Stolam candidam festis solemnibus gestare debent Poloni. 6.
Successivum olim Poloniae regnum fuit. 5. Quod deinde abrogatum est. 7. 14.
Successor vivente adhuc Rege saepius denominabatur. 13.
Sveciae Rex svadet, ne prius ex Sigismundi filiis aliquis Rex eligatur, quam haereditati regni Sveciae renunciarit. 165.

T.

Tenczynius Palatinus Belzens. Candidatus regni 143.
Thorunium ius stapulae habet. 260.
Tribunalitia iudicia tempore interregni cessant. 37.
Turbae durante interregno XIV. 180. Post obitum Ioa. III. 269. Electo Rege Aug. II. 225.
Turcorum Imperatoris consensu Regem eligendum esse praetendit legatus eius. 140.

V.

Vchanskium Archiep Gnesn ut Regem eligant Poloni commendat Turcorum Imp. 120. Sequitur partes Maximiliani Imp. electi R. P. 135.
Venceslaus Boh. Dux terram Cracov. & Sendomir.

domir. a Gryphina sibi dono datam occupare conatur. 90. Eligitur Rex. 92.
Venda in Vistulam se praecipitem agit. 21, 75.
Vicarii Imperii Rom. Germ. 4.
Vilnenses impetrant ius suffragii in electione Regis. 45. 166.
Vladislaus Cuiaviae Dux iam Monachus in Pol. venit occupaturus regnum. 97. 98.
Vladislaus Iagello coniugium Hedvigis expetit. 107. Fit Christianus. 109. Creatur Rex. ibid. Lithvaniam Poloniae iure sempiterno adiungit. ibid.
Vladislaus Iagellonides a Patre adhuc vivo designatur successor. 13.
Vladislaus Loctcus vi thronum occupaturus infectis rebus discedit. 87. 88. Vtut postea Rex electus fuerit, tamen exutus est ea dignitate. 91. Iterum Rex creatur. ibid.
Vladislaus opera fratrum suorum Rex eligitur. 162.
Vnctionis formula 58.
Vniversales quid? 33.

W.

Wilhelmus Austriacus Hedwigen Reg. in matrimonium ducere cupit. 108.
Woievoda vid. Palatinus.

Zalu-

Z.

Zaluſki concio laudatur. 207.

Zamoſcius a Zboroviis in conventu acriter perſtringitur. 137. Vindicat famam ſuam ab inimicorum calumniis. 139. Conditionibus in Conventu Varſav. ab omnibus probatis ſubſcribere recuſat. 141. Cum copiis venit ad Comitia Varſav. electionis. ibid. Competitor regni. 143. Profligat copias Maximiliani, 150, 151. Quem capit, 151.

Zborovius Zamoſcio reſiſtit 64. Cui ademta eſt dignitas Mareſchalci. 137.

Ziemovitus Maſoviorum Dux bellis vexat remp. 103. Rex creatur. 101.

FINIS.

Pol. 8. II. 38